


8
1 D
6


DE LIBERA, ET PRVDENTI AGIBILIVM ELECTIONE IN MORALIBVS

OPVSCVLVM.

AVCTORE

D. STEPHANO SPINVLA
CONGREGATIONIS SOMASCHÆ.







GENVAE,

APVD PETRVM IOANNEM CALENZANVM.

MDCXXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT IN TERRA NOSTRA





SERENISSIMO PRINCIPI
GENVENSIS REIPVBLICÆ
DVCI
IOANNI BAPTISTÆ
LOMELLINO
AVVNCVLO COLENDISSIMO

D. Stephanus Spinula felicitatem.



XCIPE hilari fronte, qua soles me, Opusculum hoc meum SERENISSIME PRINCEPS. Fœtus est primogenitus ingenij nostri: Primitias autem sibi, vel Dij, vel Principes iure vendicant. Hinc munus ne putes, quod vel tuam flectere Iustitiam, vel gratiam nitatur sollicitare. Illa siquidem inflexibilis est, summo Vniuersæ Reipublicæ bono; hæc omnibus obuia, mihi vni plusquam satis est liberalis. Tributum igitur est, quod vt Serenitati rependerem tuæ, vel ab inuito extorsissent, Principis Maiestas, sanguinis necessitudo, & præ cęteris ambitio, quod huic operi, in publicam lucem prodeunti, amicum perinde, ac augustum sydus affulgeret. Quod sane illi contigisse iure potero gloriari. Quis

✠ 2 enim

enim Auunculo amãtius labores meos, qualeſcumque ſint, exciperet? Quis Principe auguſtius foueret, colluſtraret? Sed vel alio titulo glorioſiori libellus tuus eſt. Exprimit hic Prudentiam rerum magiſtram agendarum; & ideo te fronte debuit referre, qui Prudentiæ regulatricis abſolutiſſimum es exemplar. Sanè enim par erat, vt eius ſub nomine prodiret in cartis Prudentia, ſub cuius perſona feliciſſimè hanc vrbem moderatur. Scit vniuerſa Reſpublica, ſciunt ſubditæ gentes, quàm eloquar conſona veritati. Fruuntur illæ, te Principe, inter temporum calamitates, & ſeditioſas tumultuantium Regnorum procellas Pacis malacia; & vbi finitimis è Regionibus belli vi ingruente Iuſtitia euolat, noſtras in vrbes conuolat, & ibi triumphat incorrupta. Adeò, vt tuo ſub regimine miremur, hiſce in terris impletum illud cœleſtis benedictionis oraculum, IVSTITIA, ET PAX OSCVLATÆ SVNT. Vale diù Sereniſſime Princeps tibi, & vniuerſæ Reipublicæ.

CAN:

CANDIDO LECTORI.



CTVM agimus, Amice Lector, & millies actum. Enimuerò, cuius non attriuere calamum de Conscientia Quæstiones? Quis non Prudentiæ legum Interpres, seù veriùs, lator? Iura quidem populis præscribere Politicum Orbis regimen respicientia, solis Principibus reseruatum; sed internam Animæ cuiusque Vrbem moderari, rebelles affectus compescere, quid agendum, quid omittendum, opportunis legibus edocere, quilibet litteraria in Republica, vel Gregarius consueuit Hinc opinionū varietas; et licet quot capita, tot non sint sententiæ; tamen pro qualibet sententia, si auctores recenseas, scribes Exercitum. Sed quem Exercitum? Inermem profectò, vel solis nominibus armatum. Proh pudor? Theologicas Materias, & etiam Philosophicas omni conatu exagitamus, acutissima Ingenij acie planè exenteramus, rationū ponderibus omnia metimur, leuia quæque seuera Argumentorum statera expendimus; Deus Immortalis! In quo non acriter digladiamur? Et postea Morales quæstiones, veram viuendi, agendique formam adeo negligimus, vt illam vix summis labijs dignemur attingere: quin immò veluti seriò philosophantis Theologi grauitate indignum opus Summistis relinquimus. Et ne extrà chorum saltemus, quot leges Auctores, qui de Conscientia typis edidere? At enumera, qui solidè rem tantam exagitauerint, qui à principijs rerum sint exorsi, qui graui rationum munimine dicta firmauerint. Legere, quidem defatigabit oculos: at non, enumerare, Memoriam. Vt cætera omittam, expende controuersiam illam, totius practicæ Theologiæ basim, An liceat in praxi sequi opinionē minus probabilem, nullus est, qui hanc quæstionem non pertractet; & iam pauci sunt, qui affirmatiuæ sententiæ nomen non dederint. Sed oh, quam male armata phalanx, quam male munita telis ad bellum progreditur. Scit Candidus Philalethus, vir numquam melius Orbi notus, quam cum alieno tectus nomine sentiri voluit, agnosci noluit; sciunt quicumque disputationem ipsius, de Opinionum Praxi, æquis Mentis oculis aspexere, quam

facilè

facilè vana nomina ad satietatem, vsque licet, congesta rationum ponderibus cedant. Potuit enimuerò Candidus opinionem hanc, gentibus gratissimam licet, Recentiorum omnium calculo, & vniuersali penè populorum vsu confirmatam, si non radicitùs euellere, concutere sanè; adeo vt grauissimi homines ijque doctissimi nutare viderentur. Adeo grauius vano nominum sonitu aures implet & Mentem numerus rationum. Nutabat iam inquam communissima affirmatiua sententia; & illa corruente quot, & quæ sequebantur incommoda, quot scrupuli, quæ Angustiæ? Ægrè ferebam, fateor, conscientias Fideliũ restringi adeo, & iugũ Dei, vel ipsa teste Veritate suauissimũ & leue, grauissimum futurũ dolebam. Acuit Ingenium dolor. Conatus sum Candidi iacula retundere, & collabentem sententiam non facile cessuris munire rationibus; vt scilicet, cui tantum ab auctoritate decus, non deesset ab armis præsidium. Addidi de dubio controuersa, simili methodo explicata: vt scolastico rigore haberes, quæcumque ad Conscientiam spectant, examinata. Quid autem sim assecutus, ignoro: tu Iudex esto. Nec de his plura præfabor. Superest, vt humanitate, qua polles, hoc omnibus Titulis tenue excipias, foueas, Opusculum: fortaße enim tua gratiæ rore irrigatum magnorum erit voluminum semen.

APPRO-

APPROBATIONES.

CVM opusculum Patris D. Stephani Spinulæ Sacerdotis nostræ Congregationis, cui titulus est, *De libera, & prudenti agibilium electione moralibus*, Duo eiusdem Congregationis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem damus, vt typis mandetur, seruatis tamen seruandis. In cuius rei fidem &c.

Dat. Papiæ in Collegio nostro S. Maioli. Pridie Idus Februarij. 1648.

D. Io: Baptista Spinula Vic. Gen. Congregat. Somaschæ.

OPus totum, *De libera, & prudenti agibilium electione in moralibus*, Reuerendissimo Patre Inquisitore onus demandante legi, attentè perpendi, in omnibus probaui. Id laudis Auctori debetur, quod alienam messem proprijs non aggregauit in horreis, sed propriam replendis exposuit alienis. Inueniet lector doctrinam vberem, claram, discussam, neruosis argumentis concludentem; vnico verbo dixerim, (vt nomen sit operis omen,) leget Auctorem D. STEPHANVM SPINVLAM Congregationis Somaschæ. SPINAM sine punctione penetrantem, eximiam veritatis CORONAM. Prodeat ergo publicæ eruditioni opus, & prælo, & communi plausu dignum, omnibus vti proficuũ, sic futurum gratissimũ. Ita Censeo.

Fr. Io: Thomas Puteobonellus in Conuentu S. Dominici Lect. Primarius.

Imprimatur.

INQVISITOR GENVÆ.

INDEX
DISPVTATIONVM, & SECTIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.
De rectitudine requisita in actionibus moralibus.

DISPVTATIO SECVNDA.
De probabilitate opinionum.

DISPVTATIO TERTIA.
De honesta electione opinionis probabilis, seu materia probabiliter opinata.

DISPVTATIO VLTIMA.
De prudenti actione in dubijs, siue vt communiter dicitur de Conscientia dubia.

Errata.	*Corrige.*
Pag. 122. lin. 20. Motius	Motiuis
124. 24. Et	Vt
128. 1. aliquorum	aliquo
165. vlt. ſi vel	vel
220. 18. poſſe	poſſit
260. 5. ſolet	eſſe ſolet
263. 7. ills	illas
266. 25. nullam	nulla
288. 6. & tamen celebrat. e. g. quis ignorat ſe eſſe ſuſpenſum	e. g. quis ignorat ſe eſſe ſuſpenſum, & tamen celebrat
305. 30. faceret	facere
308. 19. ſeruarē	ſeruare
311. 23. Ignorantia	Excommunicatio
340. 2. in ea	in eo
346. vlt. præſumit	præſumi
354. 28. priuato	priuati

DE LIBERA, ET PRVDENTI AGIBILIVM ELECTIONE IN MORALIBVS.

OPVSCVLVM.



VT clariori, qua possumus methodo incedamus in soluendis varijs difficultatibus, quæ in hac materia occurrunt, hoc Opusculum diuidemus in quatuor Disputationes in plures sectiones subdiuisas.

DISPVTATIO PRIMA.

De rectitudine requisita in actionibus moralibus.

DE libertate agendi in moralibus acturus in præsenti opusculo, inquantum secum compatitur honestatem, & rectitudinem debitam citra peccatum; prius exagitandũ censeo, quæ rectitudo requiratur ad actiones humanas; hinc enim melius dignoscetur, an & quomodo cum libertate subsistere possit. Igitur sit.

SECTIO PRIMA.

Quis actus, & cuius potentiæ sit regula rectificans actiones morales.

CVM actus humani habeant indifferentiam ad rectitudinem, vel prauitatem, necessaria est aliqua

regula, qua dirigantur, & qua voluntas directa rectè operetur, cum alioquin de se sit apta nata bene vel male agere; hanc autem esse actum intellectus, qui proinde appellatur recta ratio, & rectum dictamen rationis, patet; tum ex Dion. *lib. de diuinis nominibus*, aiente; *Malum hominis esse contra rationem esse.* tum ex Diuo Thom. *p. 2. q. 19. ar. 3.* & DD. communiter; tum etiam quia, cum regula debeat docere, & præscribere modũ operandi, solus intellectus potest esse regula, qui solus potest docere.

Quia autem intellectus generalissima diuisione alius est practicus, alius speculatiuus, non omnis intellectus potest esse recta ratio, & regula nostrarum operationũ; sed cum regula ordinetur ad opus; solus intellectus practicus poterit esse regula. Quid autem intelligendum sit nomine intellectus practici sic ex Philosophia breuiter explico.

Ille actus dicitur practicus, qui repræsentat obiectũ operabile prout operabile à cognoscente moto, & directo vitalis cognitionis ad opus. Vnde communiter dicitur actum practicum mouere ad praxim, quam habet pro obiecto, inclinare potentiam executiuam ad operandum tali modo, quem ipse præscribit. Quod quidem elegantissimè duobus verbis exprimunt Thomistæ, dum docent actum practicum debere esse talem ex obiecto, non ex effectu; hoc est nõ sufficere, quod ex actu quomodolibet remotè sequatur opus, sed requiri, quod tale opus sit obiectum actus, qui dicitur practicus, & ab illo præscribatur vt operandum.

Ex quo infero, actum proponentem aliquod obiectum secundum sua prædicata, vel phisica, vel moralia in se simpliciter; (esto deinde tale obiectum possit esse materia nostrarum electionum) talem, inquam actum

A non

non esse practicum, nec regulam nostræ actionis, quæ feratur postea in dictum obiectum. Vnde nec actus Phisicæ docens vinum esse virtualiter calidum practicus est, licet hoc principio possit moueri senex ad vini electionem: nec actus dictans cambium recursæ nullam in se continere iniustitiam, practicus erit, licet ex hoc principio possit quis remotè moueri ad dictũ cambium eligendum.

Probatur illatio; tùm quia iste actus solum rimatur essentiam, & passiones sui obiecti, quod vtique est speculatiuè procedere: tùm quia opus propositum nec proponitur vt operabile, nec prout proponitur est operabile; proponitur enim tantùm secundùm sua prædicata, conuenientiam, vel disconuenientiam cum iustitia, in quo certè non relucet ratio operabilitatis; nec illud quidem vt sic propositum est operabile, nec enim cognoscens efficere potest, quod obiectum habeat dicta prædicata, vel non habeat. Illa enim habet, vel non habet de se antecedenter, vel independenter ab operante. Si autem in voluntate sequatur electio ipsius obiecti, certè non sequetur ex hoc actu proximè, tamquàm ex actu practico, sed remotè tamquàm effectus ipsius. Supposito enim hoc actu potest excitari alius actus, qui dictet, hic, & nunc electionem huius obiecti sic propositi esse licitam. Hic igitur actus erit ille, qui erit recta ratio, & regula nostrarum operationum, ille primus requiretur tamquàm cõditio ad hunc secundũ.

Dices. Ille primus actus repræsentat obiectum operabile à cognoscente; ergo sufficienter erit motiuus voluntatis, & per consequens practicus.

Resp. merè materialiter se habere ad hunc actum, quod obiectum propositum sit operabile, necne; solum enim de formali in hoc actu venit iustitia obiecti, quæ

solum exprimitur; item iste actus de se non est sufficiēter motiuus voluntatis, vi enim illius præcisè voluntas nihil potest operari. Voluntas enim cum sit potentia cæca, adhoc vt possit eligere aliquod obiectum, requiritur vt ipsi proponatur tale obiectum vt eligibile; quod enim tale obiectum sit eligibile ab ipsa, nescit voluntas, quæ cęca est, nisi ei proponatur, vt tale. Neque enim ex hoc præcisè, quod aliquid proponatur voluntati vt iustum, & rectum in se, potest voluntas efficaciter illud eligere; alias ex hoc, quod proponeretur voluntati, punire impios in Inferno esse quid iustum, posset voluntas illud eligere, quod est ridiculum.

Respondebis talem operationem nempe punire impios in Inferno, non esse eligibilē à voluntate, quia non est in ipsius potestate punire impios, & nemo eligit, quod efficere non potest ex Aristotele *6. Mor. cap. 2.*

Bene; igitur debet voluntas scire, quando operatio, & obiectum est eligibile, & quando nō, & hoc per actū intellectus, ipsa est enim de se cęca, & ignorans; igitur quia dictus actus nihil proponit de eligibilitate, nō erit sufficienter motiuus voluntatis ad eligendum.

Dices secundo. Adhoc vt voluntas moueatur sufficit, quod obiectum ei proponatur vt bonum, naturali enim virtute ad illud inclinatur. Ex hoc ipso autem, quod obiectum proponitur vt iustum, proponitur vt bonū, & vt licitū, quod est species boni; ergo per actum præcisè proponentem iustitiam obiecti, poterit voluntas moueri; vnde sufficienter dictus actus erit practicus.

Resp. bonum esse duplex, aliud in se, & absolutum, aliud alteri, & respectiuum. Verum est, quod ex hoc ipso, quod proponitur obiectum vt in se iustum, proponitur saltem implicitè vt in se bonum; nego autem, quod proponatur vt bonum respectiuè cognoscenti. Volun-

tas

tas enim non mouetur ad eligendum bonitate in se, & absoluta, sed bonitate respectiua, & sibi cōducēte, quod nempe hic, & nunc bonum sit sibi eligere tale obiectū. Ad id quod dicitur de licito, quia licitum dicitur ad alterum, nego quod statim ac proponitur aliquod bonū in se, proponatur eodem actu vt licitum, sed requiritur alius actus, qui ex hoc, quod obiectum cognoscatur continere iustitiam, dictet voluntati hic, & nunc tale obiectum esse sibi bonum, & licitum, & hic erit verus actus practicus, & regula de qua in præsenti.

Dices tertio. D. Aug. *lib. 1. ad Simpli. q. 2.* ait *Impossibile esse voluntatem visis non tangi.* ergo ex hoc præcisè, quod proponatur obiectum vt bonum, mouebitur ab illo voluntas. Confirmatur, quia actus omnes indeliberati procedunt ex simplici propositione obiecti, vt boni, absque vllo iudicio practico reflexo; ergo &c.

Resp. primo ideo voluntatem moueri rebus visis, quia visionem rerum bonarum consequitur alius actus intellectus dictans illas posse, vel debere eligi; vnde electio, quæ sequitur in voluntate pendet practicè ab hoc iudicio subsequente; quod licet fortasse non semper clarè discernatur, semper tamen interuenit; neque est nouum multos actus interuenire tàm in intellectu, quā in voluntate, quos non discernimus. Vnde etiam motus indeliberati præter simplicem propositionem obiecti, habent vlterius iudicium practicum dictans voluntati tales motus; neque enim dicuntur indeliberati ex carentia huius iudicij; sed ex carentia propositionis obiecti cum indifferentia, quæ requiritur ad libertatem.

Resp. secundo, quod D. Aug. loquitur de simplici quodam amore, & complacentia, quæ per naturalem sequelam resultat ex cognitione boni, qua ipsum bonū amamus in se, non nobis, quæ neque est praxis, nec libera,

bera, nec per vllam regulam regulatur; vnde non est electio, de qua in præsenti. De qua quidem simplici complacentia, & amore verificari potest, id quod nonnulli contendunt, nempe etiam intellectum speculatiuū mouere; scilicet vt supra dicebam cum Thomistis non ex obiecto, sed ex effectu. Igitur sit.

Conclusio vnica.

RECta ratio, & regula operationum moralium est actus intellectus dictans hic, & nunc actionem esse licitam, & honestam. Aduerte, non dico actus dictans obiectum seu materiam actionis, seu electionis esse honestam, sed actus dictans ipsam electionem, ipsum actum voluntatis esse honestum.

Patet ex dictis; & si vlterius auctoritates requiris, sic illas affero. Recta ratio, & regula nostrarum operationū certum est, quod est ipsa prudentia, quæ regulat omnes actiones morales cuiuscumque virtutis, vnde virtus vniuersalis dicitur. Prudentia autē ab Aristotele *6. mor. cap.* 11. dicitur *præceptiua*; quod explicat S. Th. *in* 3. *d.* 37. *a.* 4. *in* 4. *quæst. ad primū*, consistere in hoc quod *sententiat hic, & nunc aliquid esse faciendum*; qui S. D. *a.* 3. *ad secundum* dixerat. *eligere media esse actum virtutum particularium, in quarum materia est medium electum; at præfigere electionem talis medij, esse actum virtutis moralis, & prudentiæ*; quod clarè etiam dixerat in corpore, dum ait, quod *electio medij secundum quod dicit præceptum rationis de his prosequēdis, est actus prudentiæ sibi proprius.* Adde Caiet. *Opusc.* 31. *qui est* 17. *responsionum respons.* 13. *qu. vltima*, vbi docet, *intellectū proponentē honestatē rei, quia nihil dicit de operando esse speculatiuū, illumq; non esse regulā operis.* Nau. *c. si quis de Pænit. d.* 7. & alibi multis in locis; Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. cum multis alijs.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

In quo consistat, & vnde desumatur rectitudo regulæ nostrarum operationum moralium.

SI regula nostrarum operationum moralium in iudicio speculatiuo de honestate materiæ consisteret, facile esset explicare, vnde desumatur ipsius rectitudo; ex conuenientia scilicet cum suo obiecto in esse rei; quod est idem ac dicere, in veritate ipsius consisteret; quia autem in iudicio practico consistit, admodum difficile est, hoc explicare.

Nam in primis ex conuenientia cum re enunciata non videtnr posse desumi; siquidem stat iudicium practicum esse rectum, & actionem ab illo regulatam esse honestam, & tamen non conformari cum re enunciata, eo quia hæc diuersimodè se habet, ac proponitur. Quod exemplificatur cõmuniter in cõcubitu Iacob, & Lyæ, qui concubitus respectu Iacob honestus fuit, & nõ peccaminosus; vnde iudicium practicum, quod fuit regula ipsius, & dictabat illum esse licitum, debuit esse rectum, & tamen non conformabatur rei enunciatę in se; In re enim materialiter licitum non erat accedere ad Lyam, quæ re vera vxor Iacob non erat.

Secundo, Neque dici potest rectitudinem regulæ rationis desumi ex ordine, & conformatione ad rectum appetitum, inquantum scilicet illa dicatur recta ratio, quæ proponit illud, quod voluntas potest iustè velle; Nàm inquiro, quid potest voluntas iustè velle? certè nihil aliud responderi potest, nisi quod per rectam rationem proponitur; Ergo si rectus appetitus, & recta voluntas dicitur in ordine ad rectam rationẽ, non potest recta ratio dici in ordine ad rectum appetitum, ne committatur circulus manifestus,

ſtus. Addequod Ariſtoteles, qui docuit *6. Eth. c. 2.* bonitatem intellectus practici eſſe verum conforme appetitui recto explicatur à S. Th. *p. 2. q. 19. à 3. ad 2.* de intellectu practico proponente media, qui intantum ſit rectus, inquantum conformatur appetitui recto, non quomodolibet, ſed finis; quod eſt idem ac dicere, intellectum practicum proponentem media intãtum eſſe rectum, inquantum proponit media conducentia, & conformia fini appetito, & volito.

Vaſq. *p. 2. d. 58. c. 2.* Impugnatis varijs dicendi modis, ſic à priori explicat rectitudinem rationis. Illa eſt recta ratio practica, quę penſatis omnibus circumſtantijs, proponit voluntati id, quod vel eſt, vel inuincibiliter putatur conueniens naturę rationali; per ly autem naturæ rationali intelligit rectum appetitum, vt patet ex *nu.* 11. & ſanè nihil aliud poteſt intelligere; nam cũ natura rationalis dicat, vel intellectum, vel voluntatẽ, & in ordine ad intellectum recta ratio non poſſit explicari; aliàs cum ipſa intellectus ſit, explicaretur in ordine ad ſeipſam, reliquum eſt, vt explicetur in ordine ad voluntatem; & ſic putat omnem circulum euadere.

Sed ni fallor, non euadit, & incidit in ſententiam explicantium rectam rationem in ordine ad rectũ appetitum. Nam inquiro, quid eſt, ſeu quid intelligitur per ly conueniens naturę rationali, vel appetitui? bonũ ne & honeſtum in ſe? nequit hoc dici; nam multoties ratio eſt recta, licet præcipiat id, quod in re honeſtum non eſt, vt patet ex exemplo Iacob mox allato; & etiam quia, conueniens naturę rationali ſonat quid reſpectiuum; bonum autem, & honeſtum in ſe quid abſolutum; & propter hoc neq; poteſt intelligi id, quod apprehenditur vt honeſtum in ſe, hoc enim etiam ſonat quid abſolutũ. Igitur per illa verba debet intelligi, quod pro-

ponitur

ponitur tale, vt decear, quod appetatur ab appetitu, non quomodolibet, sed rationali; modo sic arguo; quid debet licitè appetere appetitus rationalis? id vtique, quod proponitur per rectam rationem., in hoc enim differt ab appetitu brutali; ergo iam recta ratio explicatur in ordine ad appetitum rationalem, & appetitus rationalis in ordine ad rectam rationem, ecce idem circulus.

Vnde sic colligo argumentum. Recta ratio consistit in hoc, quod proponat id quod decet, vel putatur decere., appetitum rationalem, hoc est ratione vtentem, quod idem est ac dicere rectum. Sed id, quod decet appetitum rectum., seu rationalem, est id, quod decet, vt appetat, & velit appetitus rationalis, & rectus; ergo recta ratio est illa, quæ proponit id, quod iustè vult appetitus rationalis, & rectus; ergo iam desumimus rectitudinem rationis in ordine ad rectum appetitum. Pro explicatione autem huius difficultatis sit.

Conclusio vnica.

REctitudo regulæ actionum moralium desumitur ex conuenientia cum iudicio speculatiuo ad ipsam præsupposito, vel dictante materiam eligendam esse honestam in se, vel saltē probabile esse, quod sit honesta. Ly eligendā sumatur in sensu specificatiuo. Dixi autē disiunctiuè, vel dictāte materiā esse honestā, vel probabile esse &c. vt prędscinderē ab ea quæstione, an requiratur assensus ꝓbabilis de honestate materię in se, de qua infra.

Conclusio explicatur clarissimè. Illa est recta ratio, quæ proponit voluntati eligendum illud obiectum, quod per iudicium speculatiuum antecedens est cognitum iustum, & honestum hic, & nunc in talibus circumstantijs. Sic E.G. ratio, quæ dictat eligendum lucrum ex mutuo ratione lucri cessantis est recta, quia

B con-

conformatur iudicio speculatiuo, quo intellectus iudicat lucrum ex mutuo ratione lucri cessantis nullam cõtinere iniustitiam. Vnde esto lucrum ex mutuo ratione lucri cessantis esset in re iniustum, adhuc hęc ratio esset recta, quia adhuc conformaretur suo obiecto, prout ab illa respicitur; nec enim respicitur prout in re, sed prout iudicatum cum sufficienti diligentia, & fundamento esse iustum. Hinc etiam patet rectam fuisse rationem, qua directa voluntas Iacob ad Lyam accessit; nam ratio ipsius cum sufficienti fundamento dictauit accessũ ad Lyam esse eligendum; quia cum sufficienti fundamento proponebatur à iudicio speculatiuo vt licitus, & vt iustitiæ consonus; vnde quia conformabatur illi, cui debet conformari, ratio illa recta fuit, & appetitus Iacob rectus.

Ex hac autem explicatione nullus sequitur circulus. Nàm appetitus dicitur rectus in ordine ad rectam rationem; recta ratio in ordine ad rectum iudicium speculatiuum; quod quidem dicitur rectum rectitudine phisica, quæ est veritas, eo quia est conforme obiectõ suo in esse rei, rectitudine vero morali, eo quia habet sufficientia motiua; per hæc enim ponitur in specie iudicij prudentis. Laborauerunt autem fortasse DD. in hoc puncto explicando, quia non distinxerunt rectam rationem à iudicio speculatiuo.

Dices. Quandoque iudicium speculatiuum non est rectum, vt contigit in Iacob; ergo ratio, quæ ex illo dependet, non poterit esse recta: vel si est recta, aliunde debebit desumi eius rectitudo.

Resp. Negando consequentiam quia cum ratio dicatur recta, quia se conformat illi iudicio cum sufficienti diligentia facto, quomodocumque postea illud in re sit, dummodo illi se conformet, recta erit. Si quis autem obsti-

obstinatè contendat in hoc enthimemate Iacob; Accessus ad Lyam hic, & nunc est iustus, ergo electio illius hic, & nunc erit licita, & honesta; conclusionem hanc, quæ ratio practica est, esse falsam, quia sequitur ex antecedenti falso, ex falso autem verum sequi non potest.

Resp. ex falso præcisè, & per se, non posse sequi verum, ex falso verò materialiter, & specificatiuè, seù ex propositione, quæ falsa sit quidem, tamen quæ aliquid aliud habeat, vi cuius possit refundere veritatem, posse sequi verum; presertim si connexionem habeat cum consequenti, non quà, seu ex eo capite, ex quo est falsa, sed aliunde. Sic res se habet in casu nostro; iudicium quidem antecedens speculatiuum est falsum, at conclusio est vera, quia eius veritas desumitur non ex iudicio, quà aliquid enunciat, ex hoc enim capite falsum est; sed quà cum sufficienti diligentia aliquid enunciat; quæ sufficiens diligentia, quia in antecedente illo Iacob fuit, ideo potuit refundere veritatem in conclusionem; reuera enim honesta fuit electio in Iacob concubitus cùm Lya. Vel, ne alterceris, distinguas antecedens; iudiciũ speculatiuum factum cum sufficienti diligentia non est rectum rectitudine physica, quæ in veritate consistit, esto; non est rectum rectitudine morali, quæ desumitur ex eo, quod habeat sufficientia motiua, nego antecedens; ergo ratio, quæ ab illo dependet, non poterit esse recta moraliter, nego consequentiam, physicè, non disputo in presenti.

SECTIO TERTIA.

An, & quomodo recta ratio sit idem cum conscientia.

CLarum est rectam rationem adequatè non esse idẽ cum conscientia, illa enim multò minus patet; conscientia enim est multiplex, recta, erronea, crassa;

dicitur etiam probabilis, dubia, & scrupulosa. Certum est autem hæc omnia rectæ rationi conuenire non posse; hęc enim, vel ex ipsis terminis erronea, saltem defectibiliter esse non potest, nec crassa. In hoc autem conuenit recta ratio cum conscientia, quod vtraq; practica est, & dictat immediatè operis per iudicium speculatiuum cogniti, electionem; ex D. Th. & DD. cōmuniter; non enim modo loquimur de conscientia veluti reflexa, qua quis reflectens supra suas actiones factas, illas cognoscit esse licitas, quo sensu dicit Apostolus, *Nihil mihi conscius sum. p. ad Cor.* 4. & *ad Hebræos* 10. *ideò quod nullam haberent vltra conscientiam peccati.* Nec enim hæc est regula operis, nisi fortè, remotè, & per accidens. Vid. Vasq. *p.* 2. *d.* 59. *c. p.* & ideo conscientia à D. Basilio *in Prouerb.* appellatur *naturale iudicatorium*; & à Damasc. 2. *de fide, lex intellectus nostri.* Patet autē legem, & iudicem practicè sententiare, quid sit agendum.

Vt autem plenè cognoscamus an, & quomodo recta ratio dicatur ad conuertentiam cum conscientia; videamus quid conscientia sit, & quotuplex.

Conscientia definitur à D. Th. tum *p.* 2. *q.* 19. *a.* 5. *in sed contra*; tum *q.* 17. *de ver. a. p.* tùm alibi sic; *conscientia est applicatio scientiæ ad aliquem actum*; quæ definitio ab omnibus recipitur. Nomine sciētiæ venit cognitio illa præcedens de materia electionis, quæ sola est actus voluntatis, de quo in præsenti. Neque vero nomine sciētiæ venit cognitio solum scientifica verorum, sed quæcumq; notitia sufficiens ex eodem S. D. *q. de ver. cit. a.* 2. *ad* 2. applicatio autem consistit in quodam syllogismo, in quo ex principio generali, quod nullum malum est faciendum, & omne quod bonum est potest fieri, assumpta scientia particulari de aliquo obiecto, & materia

ria concludit conſcientia, & dictat talem materiam vel poſſe, vel non poſſe eligi; ex eodem *a. cit. in corpore*, cui conſentit Concell. Pariſ. *p. 2. de natura, & qualitate conſcientiæ;* quem quidem ſyllogiſmum oportet pro dicendis explicare, pro quo

Adnotandum diligẽter eſt, (quod multum inſeruiet ad notitiam dicendorum in toto hoc opuſculo) obiectum proprium rectæ rationis, quæ prudentia eſt, eſſe ipſum actum internum voluntatis, ipſam electionem, ſeu vt loquar verbis Ariſtotelicis ipſam proſecutionem, & fugam, non vero materiam, ſeu obiectum proſecutionis, & fugæ; docet hoc in terminis Ariſtoteles 3. *Moral. c. 2.* vbi ait, *opinamur vero, quid ſit aliquid, aut cui, & quomodo, eligimus autem capere, vel fugere;* igitur cum prudentia ex Ariſtotele ſit actiua, hoc eſt electiua, idem enim apud Philoſophum ſonat actiuũ, ac electiuum, ſicut idem agibile, ac eligibile; tùm alibi; tùm *6. Metaph. c. p. t. p.* obiectum prudentiæ, & per conſequens etiã rectæ rationis erit proſecutio, vel fuga. Et ratio huius rei eſt euidens, quia illud eſt obiectum prudentiæ, quod eſt dirigibile per ipſam, certè autem ſoli actus interni proſecutio, & fuga, non vero materia circa quam verſantur, dirigibiles ſunt; quia igitur prudentia dictat de ſuo obiecto, quod hic, & nunc ſit licitum, & ponendum; concluſiones, & præcepta Prudentiæ de electionibus voluntatis dictabunt, quarum nomine comprehenditur tàm proſecutio, quam fuga: non vero de materia electionum; hæc enim ſupponitur prius cognita per iudicium ſpeculatiuum antecedens. Conſcientia igitur, quæ per ſe primario formaliter reſpicit actus internos proſecutionis, & fugæ, & illos dirigit, dictos actus habebit pro obiecto, & de illis dictabit, non vero de materia horum actuum.

Erit igitur hic syllogismus cõscientię. Omnis electio, seu omnis prosecutio, & fuga licita, & honesta potest à voluntate produci; & in hac maiori non poterit subesse error; assumetur postea minor particularis; sed electio huius materię hic, & nunc est licita; ergo potest à voluntate produci; quo syllogismo posito, si illi conformis voluntas operetur, dicitur secundum conscientiam operari. De veritate autem minoris certioratur conscientia modo, de quo infra, cũ quęram, quomodo agẽs debeat esse certus dę honestate suę actionis, ad hoc vt prudenter, & cum recta ratione operetur. Hic autem syllogismus, quo posito dicitur conscientia formata, nõ est necesse, quod semper formaliter, & explicitè interueniat, sed sufficit virtualiter, & implicitè.

Sic igitur patet, quomodò conscientia applicet sciẽtiam, quam habet de electione ad illam pręscribendo, quando debeat poni. Sic etiam intelligitur, quomodo dicatur applicatio scientiæ ad actum, nempe ad electionem, scilicet prosecutionem, & fugam, qui sunt veri actus, quos habet conscientia dirigere. Hinc etiã tertio intelligitur, quomodo conscientia possit esse erronea; quia enim conscientia habet syllogizare, dupliciter potest contingere, quod erret. Primo quidem ex assumptione alicuius propositionis falsę, & hic error ex parte scientię; secundo ex prauo vsu, & mala applicatione scientię ad actum, simili modo quo, vt docet S. Th. *q. de ver. cit. a. 2. in corpore.* syllogizans potest dupliciter errare, & assumendo falsa, & male disponendo assumpta. Primo modo dicetur cõsciẽtia erronea ex parte termini; secũdo vero modo in se formaliter, quia enim conscientia ex supradictis est applicatio scientię ad aliquem actum, quando erit error in scientia, vtique erit ex parte termini, quando vero in malo vsu, seu applicatione

tione scientię, tunc in ipsa conscientia error formaliter consistet. Dupliciter autem potest consistere error ex parte scientię, vel materialiter, & inuincibiliter, vel vincibiliter, & formaliter. Primo quidem, quatenus scientia, in quam denique refunditur totus discursus conscientię, est falsa quidem, sed sine culpa vlla agentis, & intelligentis, eò quia non temerè, sed cum sufficienti fundamento, & motiuo talem scientiam amplexus est intellectus; secundo vero, quatenus sine fundamento sufficienti, & requisito tali scientię adhęsit intellectus. Vtroq; ex his duobus modis euadit conscientia erronea ex parte scientię, admodum tamen diuersimodè; nam primo modo conscientia in se nullo pacto euadit erronea, & error termini nullum errorem refundit in conscientiam, etiamsi tali scientiæ quamuis erranti cõformetur; quin immo inde recta euadit; rectitudo enim conscientię, quæ in hoc idem est cum ratione recta, ex conformitate ipsius cum scientia speculatiua sufficienti fundamento habita desumitur; & hæc habet vim cogendi, si non simpliciter, hoc est in omnem euentum, saltem secundum quid, hoc est quamdiù durat, vt explicat S. D. *q. cit. a. 4. in corpore*; & tenetur voluntas ab illa non discordare, D. Th. *ibid. & p. 2. q. 19. a. 5.* vnde ex hoc, quod appetitus illi se conformet rectus est, & electio honesta, vt dictum est *Sect. præcedenti*, cum de rectitudine rectæ rationis, quæ in præsenti idem est, ac conscientia.

Secundo vero modo error contingens ex parte scientiæ conscientiam vitiat in se, tenetur enim conscientia non applicare scientiam ad actum, nisi cum sufficienti fundamento, & motiuo habitam, vnde tunc conscientia erronea formaliter euadit, & praua, vnde appetitus non debet illi conformari, & electio, quę illi con-

conformaretur esset illicita, & inhonesta; qualis autem debeat esse scientia, & quale fundamentum requiratur, vt illi sine culpa intellectus adhæreat, & possit conscientia illa vti, dicam infra.

Conscientia autem in se, & per se formaliter est erronea, quando praua est applicatio scientiæ ad actum, puta habeo scientiam de turpitudine fornicationis, quia, tamen simul habeo scientiam de eius delectabilitate, applico ad actum delectabilitatem, omissa turpitudine, & dicto fornicationem esse committendam; conformari autem huic conscientiæ, peccatum est.

Dicitur autem conscientia etiam indiscreta, quod dupliciter potest contingere, vel ex nimia laxitate, & dicitur crassa, quæ nempe facile, & cum paruo delectu, non examinando bene fundamenta, & motiua quamlibet scientiam applicat; vel ex nimio rigore, & dicitur scrupulosa, quando nempe nulli scientiæ acquiescit, dubitans de sufficientia omnium fundamentorum cuiusq; scientię. Cum conscientia crassa non licet agere, scrupulosa est deponenda modo, de quo infra.

Dicitur item conscientia communiter dubia, & probabilis; dicitur dubia, quando dubitat, an aliquid licitè possit eligi nec ne, nec intellectus vlli parti assentitur; probabilis vero, quando conscientia nō docet certo, & euidenter aliquam electionem esse licitam, sed tantum probabiliter. Dicitur autem communiter cum conscientia probabili quemq; posse absq; peccato operari, secus cum dubia. Hæc porro distinctio conscientię in probabilem, & dubiam communiter vt dixi, sine vllo examine recipitur, hic autem pro dicendis iure est examinanda.

Suppono autem, quod certum est apud omnes, sciētiam esse cognitionem certam, & euidentem, seu assen-

sum

ſum de aliqua re, abſq; vlla formidine, vel timore, quod res cognita aliter se habeat, ac cognoſcitur. Fidem in genere eſſe cognitionem, ſeu aſſenſum de aliqua re ex alicuius auctoritate; quæquidem licet ſemper inuoluat obſcuritatem, ex hoc quòd fides eſt, eò quia innititur teſtimonio dicentis, non alicui principio intrinſeco rei; tamen à certitudine, quà fides eſt, præſcindit; poteſt enim contingere fides cum formidine, & timore de veritate rei auditę, prout teſtimonium eſt infallibile, vel fallibile. Vnde diuina fides certiſſima eſt abſq; vllo timore, vel formidine, quia teſtimonium Dei, cui innititur eſt infallibile. Fides autem humana econtrà ſecum compatitur formidinem de veritate rei creditæ, quia innititur teſtimonio humanò fallibili, quod teſtimonium ſcit credens poſſe falli, vel fallere; vtrumque enim conducit ad formidinem de veritate rei creditæ. Quod quidem adnotatum volui contra nonnullos, qui videntur ſupponere fidem, quà fides eſt, excludere formidinem, non ſecus, ac ſcientiam.

Opinio autem eſt aſſenſus obſcurus, innixus motiuo intrinſeco, vi cuius aſſentimur cum formidine, vel actuali, vel radicali partis oppoſitæ. Vnde opinio à fide, quà fides eſt, non differt, niſi penes motiuum. Dicetur fides, quæ purè innititur teſtimonio dicentis; dicetur opinio, quæ innititur rationi intrinſecæ rei opinatæ; & licet communiter dicamur opinari, quando præciſa auctoritate dicentis mouemur; id in lata ſignificatione dicitur, propriè enim tùm credimus, non opinamur. Et ſanè ſi penes motiuum non deſumatur diuerſitas inter opinionem, & fidem, ex quo capite deſumetur? Vtraq; obſcura eſt, vtraq; poteſt eſſe falſa; per hoc enim fides humana reijcitur à D. Th. 2.2. *qu.4.a.5. ad ſecundum*, à numero virtutum intellectualium, & à

C DD. ibi-

DD. ibidem opinioni æquiparatur. Vtraq; proinde est de obiecto potente aliter se habere, vtraq; formidinem secum compatitur. Igitur nullum aliud caput remanet distinguendi, nisi hoc vnum, quod opinio argumentis intrinsecis, fides extrinsecis, hoc est testimonio dicentis innititur.

Dubium est suspensio intellectus, qua inter vtramq; partem contradictionis positus nulli parti assentitur, sed de veritate vtriusq; dubitat. Differt ergo dubium à formidine, quod formido secum compatitur assensum, secus dubium formale. Similis formidini scrupulus est, qui est quædam apparentia rationum, quæ non finit intellectum assentiri vni parti sine timore; licèt quandoque scrupuli sint adeò vehementes, vt nulli parti sinant intellectum præbere assensum. Differt autem dubium à scrupulo, quod dubium dicit rationes probabiliter dubitandi, quæ dignæ sunt animaduersione, secus scrupulus, cui proinde obsistendum esse, & contra ipsum agendum, constans est SS. PP. & DD. doctrina.

Communiter autem supponunt DD. dubium esse duplex, aliud speculatiuum, aliud practicum. Speculatiuum dicitur, quod est circa obiectum speculabile; puta vt exemplificat Laiman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 1. *&* 2. cum intellectus est dubius, an census Germanicus contineat iniustitiam, necne. Practicum dicitur, quod cadit supra ipsam operationem, seu electionem; puta, vt exemplificat idem Auctor, cum quis est dubius vtrum hic, & nunc sit licita sibi census Germanici electio.

Censeo tamen nullum posse dari propriè loquendo dubium practicum concernens per se ipsam electionē voluntatis; sed dubium tantum posse contingere circa materiam electionis, quod proinde erit dubium speculatiuum. Notanter dixi practicum, nam circa ipsam

electio-

electionem voluntatis posse contingere dubium speculatiuum, vt explicabo inferius,non denego.

Probatur autem ni fallor demonstratiuè;quia electio quà electio pręcisè, non potest terminare dubium de licito, vel illicito, secundum se enim nec est licita, nec illicita, secundum se enim præscindit; fit autem licita, vel illicita ratione materiæ, seù obiecti,cuius est electio; ab illa enim specificatur, & ponitur in specie honesti, vel inhonesti. Igitur tantum potest terminare dubium de licito, vel illicito inquantum est capax liciti, & illiciti; est autem capax tantum ratione materiæ; ergo tantum ratione materię potest terminare dubium de licito, vel illicito. Igitur intantum quis poterit dubitare,an talis electio sit licita, inquantum erit huius materiæ. Hoc autem intantum continget, inquantum poterit esse dubium de materia, an sit honesta, nec ne. Sed, ex hoc quod est dubium circa honestatem materiæ, non resultat vllum dubium practicum circa electionem illius;ergo,&c. Probo subsumptũ. Si est dubium de honestate materiæ, nec sufficienter deponitur tale dubium, certum est illius electionem hic, & nunc esse illicitam; electio enim materiæ, de cuius honestate dubij sumus, non sufficienter deposito dubio illicita est, & peccaminosa. Si autẽ econtra intellectus deponat sufficienter dubium, non sequitur dubium de honestate electionis; sed certum est electionem illam,de cuius honestate materię non est dubium,esse honestam. Item si certò scitur materiã esse illicitã,non resultat dubiũ,sed certitudo, quod electio illius erit illicita;ergo à primo ad vltimũ dari non potest dubiũ practicum circa electionẽ volũtatis.

Concludo igitur duobus verbis. Si intellectus sufficienter iudicat materiam electionis esse honestam, non remanet dubium de honestate electionis, &

& quod electio non sit licita. Si sufficienter iudicat materiam esse inhonestam, non remanet dubium, quod electio sit illicita. Si dubitat de honestate materiæ, dubio non sufficienter deposito, est certum in tali casu non posse eligere, ac talem electionem, si ponatur, futuram illicitam, & peccaminosam.

Dices. Electio specificatur à materia; ergo si materia est dubia, electio erit dubia.

Resp. Quod verè electio, quantum est vi materiæ, sequitur tantum dubia, aliunde enim est certo illicita hic, & nunc cum tali dubio, quia se exponit periculo peccandi. Cum enim illa materia possit esse mala, & peccaminosa, ipsa per consequens electio potest esse peccatum; exponere autem se periculo peccandi, vel in ipsa expositione peccatum est, vnde ipsa expositio certò illicita est. Adde quod eligens materiam, de qua dubitat, non sufficienter deposito dubio, vult illam siue sit licita, siue illicita, hoc autem peccare est.

Conscientia ergo, prout est dictamen practicum respiciens electionem alicuius materiæ hic, & nunc faciendam, dubia esse non potest, quod etiam docuit Laiman. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 3. *n.* 4 sicut neq; recta ratio, quæ cum conscientia sic accepta idem est. Quod autem supponunt DD. de conscientia dubia, intelligendum est hoc pacto. Docet D. Th. *q.* 17. *de ver. a.* 1. *in corpore*, consciētiā sumi multipliciter, quandoq; pro intellectu, quandoq; pro habitu, quandoq; pro actu; quandoque autem pro re conscita, sicut fides pro re credita: Sicut ergo fides quandoq; stat pro re, quę creditur; sic pro re, seu materia, quæ eligitur, conscientia. Sic ergo concedi potest, posse subesse dubium conscientiæ, hoc est materiæ conscientiæ, seu casibus conscientiæ. Item conscientia quandoq; sumitur pro iudicio speculatiuo circa

hone-

honestatem materiæ conscientiam antecedente. Sumpta ergo conscientia pro illo potest esse dubia; secus vero actus conscientiæ practicus concernens ipsam electionem materiæ, circa quam fuit facta disquisitio per iudicium speculatiuum antecedens. Hoc docuit eleganter Cancell. Paris. *in tract. de natura, & qualitate conscientiæ pag. 232. lit. A.* vbi docet, quod aliud est conscientia, aliud timor conscientiæ; Conscientia est, quãdo sufficienti dispositione facta habet dictare electionẽ; timor vero conscientiæ est, quando quis dubitat, an illud quod debet eligi, sit honestum, vel non. Hinc colligitur conscientiam ipsam dubiam esse non posse in se formaliter, sed solum prçsuppositiuè in iudicio antecedenti, quod proinde benè dicitur timor conscientiæ; alium enim ab illo timorem, aliud dubium ab illo habere non potest conscientia.

Potest autem dari circa electionem dubium scrupulosum, ortum ab inscientia, seu tali affectione voluntatis, quod quidem non est dubium propriè dictum, secum enim compatitur assensum vni parti. Quod autem in præsenti contendimus est, non posse circa electionem remanere dubium fundatum.

Circa autem ipsam electionem voluntatis posse contingere dubium speculatiuum, & quidem multipliciter vltro concedo. De electione quidem in genere possum dubitare, an electio huius materiæ sit licita, necne. Non dico mihi, vel in his circumstantijs; nam ex suppositione, quod sit dubium de illius materiæ honestate, illicita ipso facto mihi est dubitanti; sed simpliciter, & secundum se; an scilicet tale dubium possit amoueri, & an in sensu diuiso ab illo dubio sit licita. Hoc autem non est dubium practicum; nam electio, prout est obiectum huius dubij, non est praxis, electio enim est pra-

xis



xis non considerata in vniuersali, hoc enim modo poni non potest, sed in particulari hic, & nunc, & in talibus circumstantijs, quo modo est obiectum conscientiæ, prudentiæ, & rectæ rationis.

Item possum dubitare, an electio, quam aliquis facit, sit licita, quia ego dubito de honestate materiæ illius, & simul dubito, an ille sufficienter certioratus de honestate materię, dictam materiam elegerit. Hoc autē dubium, vt patet, non est practicum, est enim circa opus iam factum, vnde non respicit opus faciendum.

Insuper, etiam de meis electionibus præteritis possū dubitare, an peccauerim, necne, propter similem rationem; quia dubitem, an sufficienter fuerim certioratus de illarum honestate; quod quidem dubium pariter speculatiuum est, & conscientiæ, sed remordentis, & accusantis, quæ speculatiua est, vt dictum est initio huius sectionis.

Superest nunc examinandum, an detur conscientia probabilis, & an illa sufficiat ad honestè operandum sine peccato; quod est idem, ac quærere.

SECTIO QVARTA.

An possit quis tantùm probabiliter esse certus de honestate suæ actionis, & an hæc tantùm probabilis certitudo sufficiat ad honestè operandum, & sine peccato.

ET quidem quod spectat ad primum in tit. sect. propositum, videtur illud sine controuersia à DD. supponi; vnde prima facie alicui mirum videri poterit, quod nunc in dubium reuocetur. Sit tamen.

Conclusio

Conclusio vnica.

IVdicium practicum post sufficientem disquisitionem dictans electionem operis, seu vt loquitur Cancell. Paris. vbi sup. Conscientia formata, nequit esse iudicium probabile; sed omnino certum est, & sine formidine.

Probatur Conclusio manifestè. Hoc iudicium practicum de honestate electionis hic, & nunc, vel habe pro motiuo honestatem materiæ eligendæ euidenter, & certò cognitam, vel tantùm probabiliter; quocumq; modo ex prædictis erit certum, & sine formidine; nec aliud motiuum à prædictis potest habere dictum iudicium; ergo &c. minor est euidens quoad secundã partem, maior item. Primam partem minoris sic probo. Et quidẽ si intellectus est certus de honestate materiæ eligendæ hic, & nunc; sequitur euidenter, quod etiam erit certus de honestate electionis: Si quidem illa electio est certo honesta, cuius materia hic, & nunc est certo honesta. Si verò tantum probabiliter cognoscit honestatem materiæ; ergo adhuc infero, erit certus, & sine formidine de honestate electionis hic, & nunc. Probo consequentiam. Illa electio hic, & nunc est certo honesta, & sine peccato, cuius materia, quantum fieri potest, & sufficienter est cognita honesta. Si enim talis est, electio nullo pacto potest esse hic, & nunc inhonesta, & peccaminosa; igitur nullum est dubium de illius honestate; sed opinio sufficienter probabilis de honestate materiæ, est cognitio sufficientissima, euidens enim ferè nunquam potest haberi, & Deus non obligat ad impossibilia; ergo electio, quæ illi conformatur, nullo pacto hic, & nunc potest esse illicita, & peccaminosa; igitur cum opinione probabili de honestate

materię

materiæ eligendæ, nulla formido potest remanere de inhonestate electionis; igitur iudicium practicum dictans electionem honestam, nullam habet, vel habere potest formidinem de parte opposita, si innitatur opinioni probabili de honestate materiæ; & nullo pacto potest ei subesse falsum, cũ oppositũ illius, quod dictat, contingere non possit; dictat enim hic, & nũc electionẽ esse honestam, & hic, & nunc non potest, non esse honesta; ergo erit iudiciũ certum, & non opinatiuum.

Dices. Ex hoc ipso, quod materia electionis opinatur tantum honesta, potest non esse talis; ergo electio, quæ circa illam versatur, cùm à dicta materia specificetur; & ipsa poterit non esse honesta, & licita. Ergo iam iudicium dictam electionem concernens, dictansque esse licitam, erit opinatiuum; ergo ei poterit subesse falsum.

Verum hæc instantia iam est soluta argumento facto; electio enim in esse honesto hic, & nunc non specificatur ab honestate materiæ in se, sed prout cognita, & quidem cognita per iudicium sufficiens, quantum permittit imbecillitas humani intellectus, quod quidẽ in rebus obscuris, & contingentibus nõ potest esse nisi probabile; *Indisciplinati* enim ex Philosopho *est, quærere in rebus moralibus demonstrationem*. Contrahit igitur certò, & infallibiliter honestatem in se electio, si se conformat iudicio probabili, quantum sufficit de honestate suæ materiæ. Ipsum igitur iudicium probabile poterit esse falsum; at electio ex hoc ipso, quod illi se conformat est certò, & infallibiliter honesta, sicut ratio illã præscribẽs est certò recta, quia se conformat iudicio speculatiuo cũ sufficienti diligentia habito, quale est iudicium probabile. Cum iudicio igitur probabili de honestate materiæ eligendæ, manet formido de inhonestate ipsius; sed non formido de honestate electionis.

Mate-

Materia quidem poteſt eſſe inhoneſta, at electio erit infallibiliter honeſta; etiam dato, quod à parte rei verè materia ſit inhoneſta: vt explicatum eſt fusè *ſect.* 2. Iudicium igitur dictans electionem eſſe honeſtam, & licitam certum, & infallibile eſt.

DD. autem, qui communiter abſq; examine videntur ſupponere conſcientiam formatam probabilem, præterquam quod manifeſtè ni fallor conuincuntur argumento facto, incidunt in grauem difficultatem, quæ fortè adhuc eſt inſufficienter explicata. Nam ſi datur hæc conſcientia probabilis, vel ſufficit ad agendum ſine peccato, vel non.

Si dicas cum Angelo, & Silueſtro *in Summ. v. opinio* Vaſq. *prima ſecundæ q.* 19. *a.* 6. *d.* 62. *c.* 5. Sanchez *in decal. lib.* 1. *c.* 9. *nu.* 18. alijsq; apud ipſum; ſi dicas ſufficere. Contra eſt, quia talis conſcientia ſufficit ad agendũ ſine peccato, quæ eſt Prudentia, & recta ratio; certè enim vbi ſine recta ratione, & Prudentia agimus, ſine peccato non agimus. Sed Prudentia non poteſt ferri probabiliter circa ſuum obiectum; eſt enim virtus intellectualis, *qua anima ſemper affirmando, vel negando verum dicit*, ex Ariſtotele 6. *mor. c.* 3. vnde nequit errare, nec ei poteſt ſubeſſe falſum; poſſet autem, ſi iudicia ipſius eſſent tantum probabilia, probabili enim tantum poteſt ſubeſſe falſum. Vnde ex eodem Philoſopho opinio honeſti, quia poteſt eſſe falſa, non eſt virtus; igitur conſciẽtia probabilis, ſeu opinio de honeſtate actionis non poteſt ſufficere ad agendum ſine peccato.

Si vero dicas non ſufficere, cum D. Th. *quodl.* 8. *ar.* 13. Caiet., & Armill. *in Summa v. opinio*, & Leſsio *de iuſt. & iure dub. p. de Prud. lib. p.* Contra eſt, quia conſcientia certa fere nunquam poteſt haberi, ſi adhoc vt conſcientia ſit certa, requiritur, quod ſupponat iudiciũ

certum de honestate materiæ; de contingentibus enim, & obscuris hæc certa iudicia non dãtur; ergo ferè numquam licebit agere sine peccato. Et sane Aristoteles *6. mor. c. 5.* & D. Th. ibidem clarè docent, Prudentiam (quæ conscientia est, inquantum conscientia dictat aliquid eligendum) demonstratione non vti, & esse habitum partis opinatiuæ, non scientificę; quod ad minus de materia remota ipsius, nempè de materia, supra quam cadit electio, debet intelligi.

Et hinc oritur tamquàm appendix, difficile esse admodum explicare, quomodo Prudẽtia, cuius actus debet esse conscientia, quæ versatur circa indemonstrabilia, nempe circa obiecta contingentia, & fallibilia, possit esse virtus intellectualis, & circa sua obiecta infallibiliter, & certo versari, nec possit errare. Quæquidem omnia à nobis facillimè explicantur, vt infra.

Has omnes difficultates nouissimè conatus est Candidus Philalethus, vir equidem acris ingenij, & ob ingenuum veritatis amorem, morumq; sinceritatem candore nominis, quod vsurpauit, dignissimus, conatus est inquam dissoluere in sua *disputatione* verè *unica de opinionum praxi*, *q.* enim *prima* hæc docet. Dicit operationes nostras dupliciter esse honestas, vel per se, vel per accidens. Illa operatio est per se honesta, quæ non solũ putatur talis, sed verè à parte rei, nullo cogitante intellectu est honesta. Illa verò est honesta solum per accidens, quę licet in se à partę rei sit inhonesta, hic tamen, & nunc inuincibiliter putatur honesta. Ad agendum igitur sine peccato dicit requiri iudicium certum, & infallibile, quod operatio, hic, & nunc sit honesta saltem per accidens, & requiri iudicium probabile, quod sit honesta in se. Prudentiam autem ideo dicit errare nõ posse, & infallibiliter tendere circa suum obiectum, quia

non

non iudicat de honestate operationis per se, sed per accidens, quod idem dicet de conscientia, quæ est ipsa Prudentia, & cuius actus, actus Prudentiæ est.

Infallibilitatem autem Prudentię circa honestatem sui obiecti saltem per accidēs in hoc syllogismo fundat. Prudentia dictans aliquam operationem esse licitam semper sequitur dictamen rationis, nempè iudicium probabile de honestate illius in se, quod certè est dictamen rationis, est enim illud, in quod inclinatur ratio; sed sequens dictamen rationis certum est, quod facit operationem saltem per accidens honestam, illa enim per dictamen rationis inuincibiliter talis putatur; ergo, &c. Qui autem sic operabitur, certum est, quod non peccabit, quia prudenter operabitur, & se conformabit dictamini rationis.

Verum hęc doctrina in vniuersum mihi non probatur; nàm in primis indistinctè loquitur de electione, & de materia, supra quam cadit electio, & vtramque confundit; in quo fortasse peccarunt hactenus omnes D.D. ponitq; eamdem operationem pro obiecto iudicij speculatiui, & actus practici Prudentiæ præcipientis, solumq; dicit differre penes modum honestatis, vel per se, vel per accidens, quod profectò falsum est ex dictis *sect.* 3. Iudicium .n. speculatiuū habet pro obiecto ipsam materiam eligendam: practicum verò, & prudentiale ipsam electionem, vt fusè probatum est loco citato.

Secundo. Distinctio illa de honestate per se, & per accidens si applicetur electioni, non est admittenda, nisi in sensu, de quo infra; nã electio, quæ sequitur ex iudicio speculatiuo materiæ, non solum probabili, sed erroneo, dūmodò inuincibiliter, est per se formalissime honesta; ex aliquo scilicet honestante, quod sibi non per accidēs, sed per se contingit; nam electio specificatur per se in

ratione honestatis, à recta ratione dictante, quę per se est talis ex iudicio antecedente speculatiuo cum sufficienti diligentia facto; siue illud sit verum, vel falsum; hoc enim per accidens se habet ad rectam rationem, quæ in esse rectæ non constituitur per veritatem, vel falsitatem iudicij speculatiui, sed per sufficientia motiua, quæ ad ipsum inclinant. Igitur siue materia electionis sit reuera honesta, siuè solum probabiliter putetur, manebit sufficiens fundamentum, ex quo per se desumitur honestas electionis. Vnde non minus per se, & in se formaliter est honesta electio Iacob accedentis ad Lyam, quàm ad Rachelem. Licet autem tale iudicium speculatiuum opinatiuum tantum, & in re falsū, sit per accidens respectu electionis, quia poterat non esse; non est tamen per accidens respectu honestatis dictæ electionis, quæ per se mediatè ab illo desumitur, & desumi debet, ad hoc vt honesta dicta electio sit.

In quo autem sensu electio, cuius materia solum probabiliter, vel erroneè, inuincibiliter tamen, putatur honesta, possit dici per accidens honesta, explicat S. Th. eruditè *q.17.de ver.a.4.* vbi explicat auctoritatem Philosophi *7.Ethic.* (quam ad tuendam suam doctrinā affert Candidus Philalethus) Phil. inquam dicentis, *Incontinentem esse per se, qui per se facit, quod contra continentiam est; per accidens verò, qui facit, quod putat esse contra continentiā.* Ex qua auctoritate à cōtrario dicit Candidus, ergo continens per se, & honestus erit ille, qui facit id, quod re vera est iuxta continentiam, & honestatem; continens vero, & honestus per accidens, qui facit, quod putat esse iuxta continentiam. Explicat inquam S.D. hoc modo; vt Ly per accidens non tollat Ly per se, sed simpliciter, & hoc in loco idem sit dicere, est honestus per accidens, ac secundum quid;

vnde

vtile ait S. D. qui facit, quod erroneè putat esse iuxta honestatem, non est honestus simpliciter, hoc est semper, & in omnem euentum; quia deposita conscientia illa erronea, si sic ageret, non esset honestus, & quia illa debet deponi, ideo non semper, & in omnem euẽtum est honestus, sed solum secundum quid, hoc est durante tali conscientia; concludit autem S. D. *quod autem sub conditione est, per accidens, & secundum quid esse dicitur.*

Tertio. Ad honestè agendum, & sine peccato falsum est, quod requiratur iudicium, seu assensus probabilis in agente de honestate materiæ in se, quam eligit, vt infra; de ipsa autem electione iudicium probabile non sufficit, vt mox ostendam.

Quarto. Iudicium dictans operationem esse per accidens honestam, non potest esse iudicium Prudentię; nam Prudentia non dictat operationem esse putatam honestam, suum enim obiectum considerat, & præcipit Prudentia in se, & secundum se; non prout in opinione; opinio quidem præsupponitur, sed non intrat constitutiuum obiecti, quod dictatur à prudentia. Vnde Aristoteles 6. *mor.* c. 5. assignans obiectum Prudentię dicit *ea esse, quæ bona, & mala homini sunt;* non dicit, quæ putantur.

Præterea inutilis, & plane ridiculus esset habitus Prudentiæ si dictaret operationem solum, vt hic, & nunc putatam honestam. Nam ex hoc ipso, quod per iudicium antecedens probabile, iudico operationem esse honestam, in actu exercito sufficienter scio talem operationem esse putatam honestam; sicut ex hoc, quod conoscam parietem, scio absq; vllo habitu in actu exercito, me cognoscere parietem, neq; requiritur habitus, vt ego id sciam reflexè, & in actu signato. Iudicat

igitur

igitur hic, & nunc Prudentia honeſtum eſſe, non putari, ponere talem operationem; quæ antecedēter ſupponitur iudicata honeſta.

Quinto. Iudicium Prudentiæ eſſe actum certum, quia iudicat de honeſtate ſui obiecti per accidens, nec eſt verum, nec ſufficit ad habitum Prudentiæ. Non eſt verum, quia iudicium hoc Prudentiæ, vt ipſe etiam explicat Philalethus, eſt huiuſmodi. Hæc operatio eſt licita mihi hic, & nunc cum tali ratione fallibili iudicanti; ergo infero, hoc non eſt iudicium certum de honeſtate ſui obiecti. Probo conſequentiam. Ratio, vi cuius moneor ad putandum, quod talis operatio ſit mihi hic, & nunc licita, eſt fallibilis, & ego id cognoſco; ergo formido de veritate ipſius; ergo formido de honeſtate actionis; non igitur ſum certus de illa. & ſanè ad hominem contra Philalethum valet argumētum. Ideo per te Prudentia eſt certa, & non poteſt falli, quia non iudicat obiectum ſuum eſſe honeſtum ſecundum ſe, ſed mihi hic, & nunc taliter, hoc eſt cum tali ratione fallibili iudicanti. Sed hinc ſequitur totum oppoſitum; nam quomodo hoc obiectum eſt certò honeſtum mihi, ſi illud iudicat honeſtum ratio fallibilis? ergo ne ideo erit mihi certò honeſtum, quia fundamento fallibili moueor ad illud putandum honeſtum? Ideo ne certus ero de honeſtate obiecti reſpectu mei, quia formido de honeſtate illius ſecundum ſe?

Dices. Non ideo pręcisè me eſſe certum de honeſtate operationis hic, & nunc mihi &c. quia formido de honeſtate ipſius ſecundũ ſe; ſed etiam quia habeo aliud principium, quo ſcio, quod quotieſcumq; cum formidine licet, iudico aliquid eſse honeſtum ſecundum ſe, ſtatim illud euadit certò licitum mihi, quia in illius electione ego ſequor dictamen rationis.

Sed

Sed contra est, quia iudicium vniuersale de aliquo secundum se, non potest refundere in iudicium particulare sub illo contentum maiorem rectitudinem, quam habeat in se; nemo enim dat, quod non habet; ergo à iudicio vniuersali, quod aliqua operatio sit licita secundum se, non potest iudicium particulare, quod illa eadem sit licita mihi, accipere maiorem certitudinem, quam habeat prædictum iudicium vniuersale; atqui illud est opinatiuum, & formidolosum; ergo etiam hoc erit huiusmodi; quæ nam enim est ratio, quod iudiciū particulare sit magis certum, quàm vniuersale, sub quo continetur? illane quia illud præcedit iudicium vniuersale, ex quo infertur? hinc profecto sequitur totum oppositum; nec enim consequitur ex hoc, quod illud precedat suum antecedens, ex quo infertur, proinde est certius suo antecedente; nec propositio particularis illata ab vniuersali est certior illa.

Vrgeo sic. Si tantum probabiliter opinor cum formidine oppositi licere Christiano, quà talis est, vesci carnibus aliquo die, profecto, non possum esse certus licere id Petro; sed formidabo etiam de Petro, aliàs neq; formidabo de Ioanne, Francisco, & cæteris, & per consequēs nec de vniuersali illa, de qua supponitur esse formido; quid enim est vniuersalis, nisi particulares collectæ? ergo etiam formidabo, an mihi liceat, & tantum probabiliter id opinabor; aliàs eadem ratio, quæ de me, etiam militat de Petro; idem enim, quod ego facio, possum consulere Petro; ergo cum iudicio tantum probabili de honestate operationis secundum se, & in vniuersali, non potest dari certitudo de honestate illius in particulari hic, & nunc, siue vt loquitur per accidens.

Contra secundo, & simul euerto syllogismum in quo fundatur certitudo Prudentię; nam qui dictat aliquid

quid conformando se dictamini rationis, tunc est certus, quod non errat, quando non formidat de veritate dictaminis, qui enim se conformat dictamini de cuius veritate dubitat, licet non dubitet de sua conformatione, vt sic loquar, dubitat tamen, an se conformet dictamini vero. Est quidem certus se conformari dicto dictamini; sed non est certus, an sua operatio se conformet regulæ veræ, vel falsæ; igitur non est certus omnino de honestate suę operationis, etiã hic, & nunc cum tali ratione fallibili iudicata. Sed Prudentia in dictando conformat se iudicio probabili, nec enim iudicia euidẽtia habere potest; ergo non est certa de honestate suæ operationis hic, & nunc dictatę.

Vrgeo ex doctrina Caiet. *in Summa v. opinio*, qui suas operationes dirigit, & dictat conformando illas dictamini rationis, quod sit iudicium probabile, iam regulat suas actiones in ordine ad opinionem, & opinionem assumit tamquam regulam suæ operationis; sed ex hoc ipso, quod operatio committitur regulandæ opinioni, iam committitur regulæ ambiguæ, quia omnis opinio ambigua est; ergo iam ipsa operatio remanet ambigua etiam hic, & nunc in particulari, & prout directa per talem rationem fallibilem, ac proinde non remanet quis certus de honestate ipsius.

Demum totum hoc punctum claudo hoc dilemmate. Vel dum dicis, Prudentiam esse certam de honestate sui obiecti per accidens, intelligis Prudentiam esse certam, quod hic, & nunc suum obiectum, seu operatio facienda putatur sufficienter honesta; vel intelligis esse certam, quod in re hic, & nunc tali personæ, eo quia sequitur dictamen rationis, quod potest habere, sit honesta. Si primum hoc vltro concedo; sed hoc non est iudicium Prudentiæ vt supra, & hoc non est facere

Pru-

Prudentiam certam de honestate sui obiecti, sed de probabilitate honestatis, cum qua stat formido de honestate, vt patet. Si verò dicis secundum; satis superq; probatum est ex dictis, quod hæc certitudo non adsit.

DD. qui dicunt ad honestè agendum sufficere iudicium probabile, hanc difficultatem, quomodò scilicet Prudentia sit virtus intellectualis, si circa suum obiectũ tantum probabiliter feratur, non explicant. Caiet. autem *tom. 1. Opusc. Opusc. 31. qui est 17. respõs. respõs. 13. q̃sito vltimo*, quem sequitur Nauarrus *in c. Si quis de Pænit.* docet iudicia Conscientiæ, & Prudentiæ esse certa, licet circa obiecta contingentia; dicit enim, quod licet iudicium speculatiuum de honestate operationis in genere sit probabile, iudicium tamen practicum de ipsa operatione hic, & nunc in particulari facienda est certissimũ; quomodo autem hoc sit, non explicat. Lessius loco supra citato explicare videtur hoc ex eo, quia operatio, quę secundum se est tantum probabiliter honesta, ratione viri sic affecti, cui proponitur, euadit certò honesta.

Doctrinam hanc acriter impugnat Vasq; vbi supra, quia quando vniuersalis est dubia, impossibile est, quod particularis sub illa contenta sit certa; nisi sit aliqua specialis ratio pro particulari, quæ non complectatur propositionem vniuersalem.

Quo argumento etiam torquetur Candidus Philalethus vbi supra impugnatus; & licet ipse respondeat propositionem vniuersalem respicere licitum per se, particularem verò siue per se, siue per accidens; vnde fieri variationem terminorum; adhuc argumentum vrget. Nam vel ly per accidẽs, de quo quæritur in particulari, significat licitum putatum, & hoc pacto vt supra non sumus in casu; vel ly per accidens significat hic, & nunc

mihi, & in particulari sic iudicanti; & hoc pacto recurrunt argumenta supra facta.

Ego autem ni fallor, facilè has omnes soluo difficultates supposita distinctione electionis à materia ipsius, & supponatur, quod fuit probatum, s. iudicia Prudentiæ cadere supra electionem, non supra materiam ipsius; vnde fit,

Conclusio secunda.

IVdicia Prudentiæ circa obiecta fallibilia certò, & infallibili modo tendunt, vnde nequeunt esse falsa; & hinc operans iuxta Prudentiã, cum qua recta ratio, & conscientia coincidit, est certus de honestate operationis in se, & per se formaliter.

Explicatur conclusio ex doctrina subtilissima Caietani *opusc. cit.* Iudicium Prudentiæ, cum sit practicum ipsos actus voluntatis, quos dirigit, per se formaliter respicit; illos autem respicit imperando, vel suadendo, eorum honestatem in se, & per se proponendo: ad hos autem ita procedit. Intellectus speculatiuus considerat aliquam materiam; puta si voluntas optet contractum aliquem eligere, intellectus speculatiuus considerat iustitiam illius, ponderat rationes hinc, & inde; videt vel vtrimq; esse opiniones probabiles, vel saltem ex vna parte illius, vel assentitur alicui parti, vel quia (vt acutè Caietanus) *varietas opinionũ habet reddere intellectum nutantem*; dubius, & suspensus hęret; euidenter tamen iudicat probabile esse vtrumq; membrum; scilicet, & quod contractus sit iustus, & quod non sit iustus. Hoc autem iudicium est euidens, quia ex ipsa intuitione auctoritatum, & rationum sufficientium pro vtraq; parte mouetur. Hactenus speculatiuè processit intellectus, quia vt benè Caiet. licet proposuerit honestatem obiecti, nihil

dixit

dixit de operando, nec ad operationes se extendit. Tunc succedit iudicium practicum Prudentiæ, dictantis electionem dicti contractus esse licitam, & posse poni. Esse inquam certò licitam in se, & per se, nec hic, & nunc posse non esse licitam; quę quidem certitudo ex hoc syllogismo Prudentiæ demonstratiuo procedit.

Illa operatio est certò, & infallibiliter per se, & in se honesta, & ponibilis sine peccato, cuius materia probabiliter putatur honesta, vel de cuius materia cōstat euidenter dari probabilem opinionem, quod sit honesta; sed hic, & nunc talis contractus probabiliter putatur honestus, vel est euidens dari probabilem opinionem de honestate, & iustitia talis contractus; ergo operatio, cuius materia, & obiectum erit talis contractus, erit certò, & infallibiliter in se, & per se honesta; ergo eligere hunc contractum hic, & nunc per se, & in se est certò, & infallibiliter honestum, & sine peccato ponibile. Omnes propositiones assumptæ sunt euidentes, præter fortè maiorē, quam sic manifestè ostendo. Honestas operationis voluntatis in se formaliter desumitur à sua materia, ab illa enim specificatur, sed non ab illa in esse rei, ab illa enim in esse rei per se formaliter non dependet. Dependet ergo, & specificatur ab honestate illius, vt cognita, sed non quomodocumq; sed modo bono, & apto qui potest haberi adhibita morali diligentia; sed hic modus est modus probabilitatis; nec enim demonstrationes de materia, & obiecto electionum possunt haberi; ergo à probabilitate certa, & euidenti honestatis suæ materię per se desumitur formaliter honestas operationis voluntatis; ergo à primo ad vltimum illa operatio est certò in se formaliter honesta, cuius materia verè probabili ratione putatur honesta. Ly verè cadit supra probabilitatem.

Et sanè vt supra latè *sect.* 2. probatum est, rectitudo appetitus, & actuum ipsius non desumitur à veritate, vel falsitate iudicij speculatiui, quod circa materiam appetitus, & electionis versatur; sed ex conformitate ipsius cum recta ratione, & Prudentia, quae neq; dicitur talis ex veritate iudicij speculatiui, cui innititur, sed ex sufficienti diligentia adhibita in tali iudicio, & sufficienti fundamento, quo processit intellectus ad tale iudicium, quod sonat probabilitatem.

Non cadit igitur certitudo suprà materiam electionis, quae quia per iudicium speculatiuum cum formidine est cognita, nequit postea euadere vllo pacto certa. Sed supra actionẽ, & electionẽ, quae per nullum iudiciũ, est iudicata cũ formidine, vnde nõ est idẽ obiectũ supra, quod cadit probabilitas, & certitudo; sed sunt duo obiecta: supra materiam cadit probabilitas, supra electionẽ certitudo modo dicto.

Difficultate autem in hoc puncto ideò premuntur DD. quia materiam ab electione non distinguunt, & ponunt iudicari cum formidine per iudicium speculatiuum operationem, & postea eamdem certò, & sine formidine per iudicium practicum, quod difficile est, & multum illos vrget ratio Vasq; supra allata, quae tamen contra nos non est; nihil enim prohibet, quo minus quis sit dubius de vno obiecto, & certus de alio, dubius de materia, & certus de actione, & electione circa illam, quod multis exemplis liquidò constat. Sic e. g. dubitat Iudex an re vera, sit ius illi, pro quo iudicat, & tamen certò scit pro illo esse iudicandum, & sic est certus de actione, nempe de honestate sententiae, sed non de materia, quae est ius illius, pro quo sententiat. Sicut pariter dubitat quis, an aliquis Sacerdos, quem videt publicè celebrantem, sit verus Sacerdos, ac proinde dubitat de

validitate eius missæ, & tamen est certus, se posse in die festo illius missam audire satisfaciendo præcepto, quia licet non certò cognoscat validitatem missæ, cognoscit tamen illam probabiliter quantum sufficit.

Et fortasse hoc tantum voluere Caietanus, & Nauarrus, dum locis cit. docuere, posse quem dubium de licito alicuius rei esse certum, se posse dictam rem eligere. Sicut etiam DD. illi, qui certitudinem requirunt de honestate operationis, solum fortasse locuti sunt de electione, nec enim potuerunt velle certitudinem de honestate materiæ; tùm quia quærere certitudinem in materijs moralibus est quærere impossibile; tùm quia multi ex illis docent, quod etiamsi intellectus sit dubius, & neutri parti assentiatur, adhuc operationem quam imperat Prudentia, esse certò honestam; si nimirum intellectus remaneat dubius propter probabiles hinc, & inde sententias DD.

Aristoteles autem, qui docuit Prudentiam non demonstrare, hoc dixit in ordine ad materiam operationum, quas regulat Prudentia, non verò in ordine ad ipsas operationes. Et similiter cum docuit Prudentiam esse habitum partis opinatiuæ, hoc docuit, quia Prudentia dirigit operationes, quarum materia cognoscitur ab intellectu opinatiuo; quod quidem clarè expresit Philosophus 6. *mor. c. 5.* dum ait; *Prudentia scientia non est, quia id, quod in actionem venit, esse aliter potest.* Aduerte, quod non dixit (actio ipsa) hæc enim prout imperata à Prudentia non potest non esse honesta; Illud autem sub actione, quod cadit etiamsi imperata à Prudentia, potest non esse in se honestum.

Quæres. Si quis probabiliter tantùm putaret suam operationem esse honestam, operaretur ne prudenter, & sine peccato.

Resp.

Resp. Quæsitum esse de subiecto non supponente; supra enim operationes non potest cadere probabilitas honestatis. Sed omnis operatio, vel est certò honesta, vel certò non honesta. Ratio est euidens, quia cum tota honestas operationis à suo obiecto, vel materia dependeat, ipsa de se non habet honestatem, vel inhonestatē, sed illam à materia, & obiecto suo recipit; igitur circa illam non potest esse directè disputatio, sed tota disputatio cadit supra materiā, quæ vel verè probabiliter putatur honesta, vel non. Si primū; operatio est in se certò formaliter honesta. Si secundū; est certò non honesta.

Dices multoties est disputatio, & dubium de ipsis operationibus, puta de audiendo sacrum, de sic contrahendo &c. igitur non solum circa materiam operationum, sed etiam circa operationes ipsas potest esse, & sunt de facto opiniones probabiles.

Resp. Quod nomine operationum in præsenti veniunt, quæ antonomasticè operationes sunt, circa quas versatur Prudentia, quæ sunt soli actus interni voluntatis eligentis, vel respuentis. Electio enim solum, & refutatio sunt operationes propriæ Prudentiæ, quæ actiua est, hoc est electiua; & circa has, quæ per se formaliter sunt intrinsecè honestæ, & meritoriæ, & actus imperantes, saltem causaliter, cadit doctrina tradita. Illæ autem aliæ, quæ vocantur operationes, & quarum exempla ponuntur in argumento, non sunt actiones propriæ, sed factiones: non sunt per se intrinsecè, & formaliter honestæ, sicut nec liberę, sed solum extrinsecè ab electione, & sunt operationes imperatæ; quæ proinde sunt obiectum, & materia operationum dictarum, de quibus in præsenti.

Conclusio Tertia.

AD operandum honestè, & sine peccato requiritur certitudo saltē implicita de honestate actionis in se, & per se formaliter.

Conclusio patet euidenter ex dictis, cum enim qui agit, debeat esse certus, quantum potest de honestate suæ actionis, & hæc certitudo possit dari euidens, requiritur hæc profecto. Confirmatur; quia non operatur honestè, & cum conscientia, qui operatur sine Prudentia, quæ essentialiter hanc certitudinem importat; ergo non agit honestè, qui agit sine prædicta certitudine. Restat modo agere de materia electionis, quomodo scilicet adhoc vt operemur sine peccato, debeat esse cognita materia nostrarum electionum.

SECTIO QVINTA.

Quo pacto debeat esse cognita materia nostrarum operationum.

MAteriam, seu id, quod cadit sub nostra electione demonstratiuè cognosci secundum eius iustitiam, vel iniustitiam non posse, nemini dubium est. Vnde communiter censere videntur DD. sufficere iudicium probabile, adeo vt adhoc vt materia aliqua sit licitè eligibilis in praxi, sufficiat, quod probabiliter sit cognita honesta. Si enim requirerentur iudicia demonstratiua, cum hęc in moralibus haberi non possint, à nobis requirerentur impossibilia. Adeò autem videtur requiri iudicium probabile de honestate materię, vt si illud absit, non possit quis honestè operari; vnde manauit illud velut adagium in materia morali. In dubio formali non licere operari: intellige quando deest iudicium etiā

probabile, & intellectus nulli parti assentitur. Ita videtur docuisse Aristoteles 2. *Ethic.* dum ait, *qui non se determinat, sed fluctuat, non operatur, vt debet;* certè autem non se determinat, qui nedum asentitur probabiliter. D. Th. *a.* 13. per totũ *quodlib.* 8. hoc idẽ asserit, & probat. Videntur etiam ferè cõiter hoc supponere DD., & expresè hoc docet Candidus Philalethus *in sua disput. cit. qu. prima*, vbi requirit iudiciũ probabile de honestate actionis per se, & passim supponit in toto opusculo.

Cęterum in hoc puncto pro præsenti opusc. maximè essentiali non temere, sed magna cum distinctione est procedendum.

Suppono primo, dubiũ practicum circa electionem ex dictis supra *sect.* 3. non dari. Verum si daretur, cum eo profecto non liceret operari; si enim euidenter requiritur certitudo de honestate electionis, certè non sufficit dubietas, & si debet expelli formido, quæ tandem secũ compatitur assensum, profecto multo magis debebit expelli dubium formale. Dubium autem circa materiã electionis speculatiuum est, sicut etiam alij actus circa dictam materiam versantes; hoc autem dubium dari potest; potest enim contingere, immo multoties contingit, quod intellectus anceps, & dubius circa honestatem alicuius materiæ, nihil circa illam determinat, sed dubius hæret, & neutri parti assentitur.

Suppono secundo, dubium istud speculatiuum ex duplici capite posse cõtingere; vel ex opinionibus hinc, & inde probabilibus, & rationibus pro vtraq; parte vrgentibus, quibus intellectus redditur anceps, eo quia, vt benè Caiet. *opusc. sect. præcedenti* cit. *Varietas opinionũ habet reddere intellectum nutantem.* Alio modo potest contingere dubietas formaliter in intellectu ex eo, quia nullæ sint rationis sufficientes, nec pro honestate materiæ

riæ

riæ, nec pro inhoneſtate; ſed leuiter hinc apparet honeſtas, hinc inhoneſtas: vt contingit in idiotis, qui proinde DD. conſulunt, vt ab illis de rei veritate, vel probabilitate doceantur.

Suppono tertio, inter hæc dubia hanc eſſe potiſſimã differentiam, quod qui dubitat ex varietate opinionum, & rationum ſufficientium, quas hinc, & inde videt, cũ hoc dubio formali de veritate rei, poteſt habere iudicium euidens de probabilitate vtriuſq; partis, ſiue collectiuè, ſiuè diſtributiuè. E. G. Video eſſe opiniones hinc, & inde pro iuſtitia, & iniuſtitia Cambij recurſæ: video rationes efficaces pro vtraq; parte; ego nihil iudico, nec Cambium recurſæ eſſe honeſtum, nec non, ſed anceps maneo; cum hac tamen ſuſpenſione iudicare poſſum vtraſq; opiniones, rationesq; eſſe probabiles, & hoc euidenter. E contra autem, quando quis dubitat ſecundo modo, nec poteſt iudicare de veritate rei, nec de eius probabilitate; quia potius iudicat, & euidenter cognoſcit ſibi hic, & nunc nullam partẽ eſſe probabilem, cum tamen nequeat iudicare eſſe falſam. Et ratio eſt à priori, quia motiuum falſitatis ſufficiens non apparet; apparet autem, & euidenter cognoſcitur motiuum nõ probabilitatis, nempè carentia motiuorũ ſufficientium ad formandam vtramq; vel alterutram partem, vt probabilem. His autem, vt euidentibus prænotatis, ſit.

Concluſio Prima.

CVm dubio ſpeculatiuo circa materiam operationum ex defectu rationum probabilium, nequit licitè quis operari; & ſi operatur, peccat grauiter, vel leuiter, pro leuitate, vel grauitate materiæ. Eſt cõmunis.

Probatur Concluſio euidenter primo quia, ex Apoſtolo 4. *ad Rom. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ergo

 peccat

peccat, qui aliquid eligit non ex fide; hoc est non credendo, nec potens credere ex defectu motiui, quod illud, quod eligit, sit honestum, vel licitum; sed res sic se habet cum hoc dubio speculatiuo; ergo operans cũ hoc dubio speculatiuo peccat.

Confirmatur ex verbis supra allatis Philosophi 2. *Mor.* adiunctis verbis Caiet. *Opusc.* 17. *sect. praeced.* citato, vbi ait, *Fluctuans quantum sapit fluctuationis, tantum sapit indeterminationis, ac proinde modi indebiti operandi*. Quando autem magis fluctuat homo, quàm cum est cum dubio, de quo in conclusione.

Secundo quia actio, cuius materia nedum probabiliter est honesta, est omninò illicita, & cõscientia dictat illam esse illicitam: cum enim actio totam suam honestatem desumat ab honestate materiae, non in esse rei, sed prout propositae ab intellectu, ex hoc ipso, quod materia nedum probabiliter proponitur honesta, & licita, nequit actio ab illa honestari. Sed cum speculatiuo dubio modo dicto, materia nedum probabiliter est honesta; ergo electio illius erit omnino inhonesta; & qui ageret sic, peccaret.

Tertio quia ne quis peccet, debet prudenter agere, conscientia enim prout respicit agenda, vel omittenda, idem est ac Prudentia, ex dictis *sect. praecedentibus*, & supponunt DD. vid. Schobar. *exam.* 3. c. 1. sed qui ageret cum dubio speculatiuo, vt in conclusione, non ageret prudenter; nec eius actio esset regulata à principijs Prudentiae; ergo peccaret. Minor probatur. Vnum ex principijs Prudentiae est, quod illa actio est certò honesta, cuius materia constat euidenter, quod saltem probabiliter est honesta; hoc autem principium in praesenti deficeret, quia materia esset in dubio, nedum honestatis, sed etiam probabilitatis, ergo &c.

Quarto

Quarto quia, qui eligit aliquid, quod dubitat, an ſit licitum, & non obſtante hoc dubio adhuc eligit, vult illud facere, ſiue ſit licitum, ſiue illicitum, ſeu vt vulgo dicitur, vult illud per fas, & nefas. Sed qui hoc pacto agit, vtique peccat, & non ſolum ſe exponit periculo peccandi, ſed formaliter peccat; quia anteponit ſuam cupiditatem iuſtitiæ, rationi, & Deo; ergo qui operatur cum dubio ſpeculatiuo, de quo in præſenti, peccat.

Concluſio ſecunda.

CVm dubio formali ſpeculatiuo circa honeſtatem materiæ, quam reſpicit electio, orto ex probabilitate hinc, & inde vtriuſq; partis contradictionis poteſt quis operari, & infallibiliter licitè operatur, nec peccat. Vnde non requiritur, quod operans habeat ipſe aſſenſum probabilem, quo aſſentiatur, & opinetur materiã operationis in ſe eſſe honeſtam; Sed etiamſi ipſe dubius formaliter maneat, dummodo certus ſit dari probabilẽ opinionem de honeſtate materiæ, tutiſſimè, & ſine peccato operabitur, & operatio ipſius erit certiſſimè honeſta. Probatur concluſio, ni fallor euidentiſſimè.

Primo, quia operatio, quæ à Prudentia regulata procedit, & quæ eſt ſecundum rectam rationem, & conſcientiam, certò, & infallibiliter honeſta eſt, & nequit eſſe peccatum. Sed electio materiæ, de qua eſt dubiũ formale modo explicato in *ſecunda Concluſione*, eſt actus à Prudentia regulatus, iuxtà rectam rationem, & conſcientiam; ergo erit certò honeſta, & per conſequens poterit quis ſine peccato cum dubio, de quo in præſenti, operari; Minor probatur quia, hæc electio adhuc ſequeretur ex illo ſyllogiſmo, ex quo vt dictum eſt *ſect. præcedenti*, deriuat certitudo infallibilis honeſtatis in actus regulatos à Prudentia, quia adhuc operans eſſet

certus, quod materia, quam eligit, esset probabiliter honesta; licet enim dubitet, an materia in se sit honesta, nec ne; adhuc tamen certò, & euidenter scit, probabile esse, dictam materiam esse honestam; quia videt adesse opinionem probabilem, & sufficientem de illius honestate.

Secundo, quia cum conscientia dubia non licet quidem operari, sed cum conscientia certò, & infallibiliter dictante actionem esse licitam, possumus vtiq; sine peccato operari. Sed etiam dato dubio, de quo in præsenti, adhuc conscientia dictaret operationem esse licitam; ergo &c. Minor probatur; nàm conscientia non cadit supra materiam, sed supra operationem, quæ adhoc vt sit certò honesta, non pendet ex eo, quod materia ipsius æstimetur ab operante in se honesta; sed ex eo, quod materia verè sit probabiliter honesta: hoc enim tantũ per se requiritur, quod enim opinetur vel à me, vel ab alijs merè materialiter se habet, cum pari modo reddatur probabilis; præsertim cum meus assensus respectu mei non augeat ipsius probabilitatem; sicut ego respectu mei non facio auctoritatem; sed adhuc cum dicto dubio materia est in se probabiliter honesta, & hoc euidenter cognoscitur ab operante; ergo operatur certo honestè, & sine peccato.

Tertio, quia adhoc vt operatio sit certò honesta, sufficit, quod regula, à qua desumitur sua honestas, sit certa, & infallibilis; quis enim aliquid amplius requirat? sed regula honestatis nostrarum operationum, non est quod materia ipsarum à me potius, quam ab alijs opinetur honesta; nec enim opinio mea, vel alicuius potest esse regula operationis; vt enim benè Caietanus *in Summa v. opinio*, nequit operatio nostra regulari per cuiusq; opinionem; *quoniam ex quo operatio committitur regulanda*

landa opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia omnis opinio ambigua est; igitur nec quod ego opiner, nec quod alius opinetur, materiam esse honestam, potest esse regula meæ opinionis. Quid ergo erit? Iudicium, quod hæc materia sit probabiliter honesta; cum euidẽtia honestatis haberi non possit. Ad hoc autem parùm refert, quod à me, vel ab alio opinetur, dummodo sim certus talem opinionem esse re vera probabilem; cuiuscumq; enim sit opinio, eodem modo seruatur idem iudicium, in quantum requiritur; ergo quia cum dubio, de quo in præsenti adhuc subsistit prædictum iudicium euidens, adhuc operatio erit certò honesta, & sine peccato.

Quarto, quia vt Iudex iustè iudicet, & sit certus suũ iudicium esse honestum; non est necesse, quod credat, seu probabiliter assentiatur ius esse illi, pro quo iudicat; sed de hoc dubius, iustè iudicat, & certò honestè agit, si iudicat iuxta allegata, & probata; hoc est si iudicat pro eo, pro quo licet non credat esse ius, cognoscit tamen euidenter apparere ius; ergo similiter in foro animæ, ad hoc vt quis operetur iuxta suam consciẽtiam, quæ *naturale iudicatorium est*, ex Basilio, non requiritur, quod ipse iudicet materiam sui operis esse honestam, & iustitiæ consonam, sed solum apparere sufficienter honestam, & iustam; quod est idem, ac dicere, sufficit, quem esse certum de probabilitate honestatis materiæ, nec requiritur iudicium de materia ipsa.

Quinto, quia ex probabilissima Theologorum sententia, quam docet Vasq; *p. 2. d. 62. c. 4. nu.* 14. & Azorius *tom. 1. Instit. mor. lib. 2. c.* 17. *nu.* 68. *& alij*; potest quis, licet vnam contradictoriam positiuè putet esse veram, & illi assentiatur, potest adhuc in praxi oppositum sequi, si illam putet esse probabilem; ergo quando

-islui neutri

neutri parti assentitur, & dubius manet, si alterutram nouerit certò esse probabilem, poterit illam in praxi sequi; & quidem à fortiori.

Sexto, quia eatenus quis in dubio operans peccat, quia se exponit periculo peccandi, & præfert commodum, & cupiditatem propriam saluti animæ; sed hoc non contingit cum dubio, de quo in præsenti: nam cũ hoc dubio adhuc quis est certus suam actionem esse honestam, & scit materiam suæ actionis esse, quantum sufficit in materijs moralibus honestam, nempè probabiliter, & apparere talem cum fundamento; ergo &c.

Sed iam conclusionem hanc placet DD. auctoritate communire. Primo facit ad hanc conclusionem firmandam textus in *c. Cum Dominus de secundis nuptijs*, iuncto textu in *c. Inquisitionis de sententia excommunicationis*, quos textus sic induco. Præcipit Pontifex ibi coniugem dubium dubio graui de validitate matrimonij, ex dubio consanguinitatis, vel vitæ prioris coniugis, debere reddere, sed non petere: modo sic arguo. Coniux, qui debet eligere redditionem debiti, de honestate redditionis in se est dubius, sicut est dubius de validitate matrimonij; quod dubium non tollit Pontifex, sed relinquit; alias si tale dubium auferretur, iam coniux posset non solum reddere, sed petere; ex validitate enim matrimonij sequitur redditio debiti in se honesta, vel non; & tamen cum hoc dubio formali, quia est decisio Pontificis dicens illum debere reddere, licitè reddit, & operatio ipsius honesta est, & sine peccato. Ergò licet quis sit formaliter dubius de honestate materiæ in se, quando tamen DD. vel rationes sufficientes dicunt illud posse fieri, & eligi; poterit illud agere sine peccato.

Dices. Ille est certus se posse reddere, licet dubitet de

iusti-

iuſtitia redditionis in ſe, quia ſcilicet Pontifex ſic definit.

Benè. Sed etiam in caſu noſtro licet quis dubitet de iuſtitia materiæ in ſe, tamen certus eſt, ſe poſſe eligere dictam materiam; quia quod in hoc caſu facit definitio Pontificis, facit in alijs caſibus auctoritas DD.; cum enim ſemper habere non poſſimus Pontificis definitiones, in locum illarum ſunt ſubſtituti DD.; quos ſi ſequimur, non peccamus.

Inſtabis, argumentum non benè procedere; nàm in caſu textuum allatorum, qui eligit reddere, licet dubitet de iuſtitia redditionis in ſe, ſcit tamen hic, & nunc ſe poſſe reddere, & hic, & nunc redditionem huiuſmodi eſſe honeſtam ſibi; vnde licet non aſſentiatur, ſed ſit dubius, an materia in ſe ſit honeſta; non tamen eſt dubius hic, & nunc reſpectu ſui; at verò in caſu conclusionis dubitat quis omninò de honeſtate materiæ.

Reſp. Paritatem omnino currere, & quidem quatuor pedibus; nàm etiam in caſu noſtro, qui non aſſentitur honeſtati materiæ, ſcit euidenter talem materiam, cuius non aſſentitur honeſtati, eſſe honeſtam reſpectu ſui, hic, & nunc. Materiam enim, de cuius honeſtate ſunt probabiles opiniones, ſcit eſſe honeſtam in ordine ad eligentem, hoc eſt licitè, & ſine peccato poſſe eligi.

Facit ſecundo ad noſtram concluſionem auctoritas Caiet. cit. *Opuſc. 17. reſponſ.* vbi habet hæc verba formalia. *Intellectus ſpeculatiuus licet proponat honeſtatem rei, nihil dicit de operando;* quæ propoſitio deſumitur *ex* 3. *de anima t.* 46. vbi dicitur; *Intellectus ſpeculatiuus nihil dicit de fugiendo, vel imitabili; vnde* (ſubdit Caiet.) *quod intellectus hic ſit dubius, eo quod varietas opinionum nata eſt reddere intellectum nutantem, non proinde in dubio dicitur fieri operatio; quia tale dubium operationem non*

concer-

concernit. Quid clarius pro nostra conclusione.

Facit tertio Nauarrus *in c. Si quis de Pœnit. d. 7. nu.* 61. vbi cum dixisset supra, in dubio quem nō posse operari, & operationem esse peccaminosam; ait. *Declaro prædicta, quando dubitatio euenit in ipsa operatione, nàm licet in genere habeam dubitationem, an aliquid liceat, in singulari tamen operatione non dubito, immo certus operor illud; tunc ratione dubietatis in genere non incurritur peccatum*. Quam doctrinam repetit toties quoties in toto illo capite.

Accedit Sanchez *in Decal. lib.* 1. *c.* 9. *num.* 16. Vasq; *prima secundæ d.* 62. *c.* 4. *in fine*. Couarr. *t.* 2. *pag.* 366. Cordub. *lib.* 3. *pag.* 169. *& alij*.

Vnus est, qui difficultatem nobis videtur ingerere D. Thom. *quodl. illo* 8. *cit. a.* 13. *in corpore*, qui quidem articulus, quia non solum in hac materia, sed etiam in multis alijs citatur, hic à nobis à verbo ad verbum transcribetur, & explicabitur. Quærit autem S. D. in hoc articulo, an liceat habere plures præbendas, quando sunt variæ opiniones Magistrorum, & videtur concludere, quod non solùm dubitans, sed etiam formidans, an liceat, non obstante opinione DD. peccat habendo. Ait autem sic.

Resp. Dicendum, quod aliquis duobus modis obligatur ad peccatum; vno modo faciendo contra legem, vt cū aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; vt si conscientia dictet alicui, quod leuare festucam de terra, sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur quis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum; nec excusatur, per hoc quod est secundum conscientiam.

Et simi-

Et similiter; quod est contra conscientiam est malum; quamuis non sit contra legem: Quod autem nec est contra conscientiam, nec contra legem, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quando duae sunt opiniones contrariae de eodem, oportet alteram veram esse, alteram falsam; aut ergo ille, qui facit contra opiniones Magistrorum, vt potè habendo plures praebendas, facit contra veram opinionem; & sic, cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamuis non faciat contra conscientiam; sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur; ita quod verè liceat habere plures praebendas; & tunc distinguendum est; quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamuis non contra legem; aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & sic si manēs cum tali dubitatione plures praebendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, vt potè magis amans temporale beneficium, quam propriam salutem. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic nec committit se discrimini, nec peccat. Hucusque S.D.

Doctrina huius articuli, si ad litteram sumatur, multiplici ex capite falsa est.

Primo quidem. Quomodo verum esse potest, peccare eum, qui contra legem Dei, licet secundùm conscientiam operatur, cum hoc sit contra omnes DD. & contra ipsum S. Thom. *prima secundae q. 19. a. 5.* vbi docet debere quemq; sequi conscientiam errantem inuincibiliter, & peccare, qui contra illam operatur; certum est autem, quod conscientia errans praecipit, quod contra legem Dei est; alias quomodo erraret.

Secundo, quomodo potest esse verum, quod qui habet certitudinem de eo, quod eligit, quod licitum sit, & non habet conscientiam de contrario; sed tamen ex cõtrarietate opinionum inducitur in aliquam dubitationem, (quæ profectò tantum leuis potest esse, alias stare non posset cum certitudine) quomodo inquam verum esse potest, quod iste sic eligendo, peccat. Igitur maius quid requiritur, quàm certitudo de honestate illius, quod eligitur; & leuissima dubitatio, quæ necessario oritur ex contrarietate opinionum, habet vitiare opus, quod alioqui certò creditur licitum. Item quomodo hic se exponit periculo peccandi, qui secundum conscientiam operatur. Præterea est certum apud omnes licere seqni probabiliorem opinionem, licet non sit tutior; si autem est vera doctrina huius articuli ad litterã intellecta, hoc est falsum, nàm quicumq; probabilior licet assensus, semper erit cum aliquali formidine; ergo si cum formidine non licet agere, nec cum probabiliori sententia licebit agere. Præterea quando nam certitudo potest dari in materijs moralibus sine vlla dubitatione?

Ex quo vides hunc articulum, si ad litteram sumatur non solum probare requiri assensum determinatũ de honestate materiæ eligendæ; sed etiam assensum certum sine vlla formidine. Nimium igitur probat.

Explicandus igitur est hic articulus ita, quod solum voluerit S.D. quod etiam stantibus contrarijs opinionibus non liceat agere cum aliqua dubitatione, vel propria, quæ titubatio est, vel impropria, quæ est formido circa ipsam actionem, & electionem, quam immediatè præcipit, & respicit conscientia; quod fusè ostensum, & probatũ est supra. Vnde requiritur ex S. Thom. certitudo omninò sine vlla dubitatione de honestate actionis;

non

non verò loquitur S. D. de dubio, seu formidine circa materiam electionis; sic illa verba. *Ex conscientia autē obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem, siue opinionem de contrario eius, quod agit;* sic sunt intelligenda. Ille peccat contra conscientiam, qui oppositum agit ab illo, quod dictat conscientia; siue hæc procedat ex certa fide, siue ex opinione cum dubitatione de honestate rei, quam dictat; quod quidem verissimū est; hic enim valet illud Apostoli *ad Rom.* 4. *Quod nō est ex fide, peccatum est.* Vnde nota, ad hoc vt quis peccet contra conscientiam, non sufficere, quod fiat, cuius oppositum existimatur probabiliter honestum; sed requiri, quod conscientia illud dictet, & contra dictatum cōscientiæ fiat. Sic illa verba; *Inducitur in aliquam dubitationem, & illa dubitatione manente, si operatur, peccat;* Intelliguntur de dubitatione cadente supra actionem, & electionem, non verò supra materiam ipsius. Vnde ex doctrina huius articuli nihil infertur contra nos.

Quod autem ait S.D. peccare eum, qui contra legem Dei, vel secundum conscientiam facit, intelligendum est, vt explicat S. Antoninus *in Summa c. de conscientia,* quando scilicet id, quod agit, est expresse contra Deum definitum ab Ecclesia, & conscientia est crassa & vincibiliter erronea; Quo pacto docet S.D. alibi peccasse sequaces Hæreticorum, & Gentiles, & Hebreos putantes se obsequium præstare Deo in interfectione Apostolorum.

Dices primo. Conscientia debet se conformare intellectui speculatiuo; ergo si intellectus speculatiuus manet dubius, conscientia erit dubia: cum hac autem non possumus operari; Ergo &c.

Resp. Me iam ostendisse conscientiam ipsam non posse esse dubiam; sed esto, dico conscientiam confor-

 mari

mari debere non cuicumq; iudicio speculatiuo, sed illi, quod assumitur tamquã regula operationis certo, & infallibiliter honestæ; quod est, seù inuoluit duo illa iudicia certa, & euidentia. Eligere materiam, de cuius honestate datur verè probabilis opinio, honestum est; sed de honestate huius materiæ datur probabilis opinio; ergo eligere hanc materiam honestum est. Quæ quidem iudicia semper requiruntur siuè formaliter, siuè virtualiter; non verò iudicium immediatum de honestate rei in se, & materiæ, ideo &c.

Dices secundo. Conscientia est applicatio scientiæ; sed vbi est dubium, ibi nulla est scientia, ergo in dubio non possumus operari sine peccato; nam operari sine conscientia peccatum est.

Resp. Ex S. Thom. *q. 17. de ver. ar. 2. ad secundum*, quod conscientia non est applicatio scientiæ rigorosæ de honestate materiæ, sed cuiusuis cognitionis sufficientis; quæ neq; requiritur, quod sit actus ipsius operantis, sed solum, quod sit opinio probabilis alicuius, quæ verè probabilis sit. Etiam autem in dubio, de quo in præsenti supponitur opinio probabilis de honestate materiæ euidenter cognita vt talis, quam proinde applicat conscientia ad operationem, quam præcipit.

Dices tertio. Honestas actionis desumitur ab honestate materiæ; ergo si est in dubio, an materia sit honesta, actio per consequens erit in dubio, an sit honesta; ergo & sequitur dari posse dubium practicum circa honestatem actionis, & sequitur quem in dubio de honestate materiæ operari non posse, quia in dubio de honestate actionis operari non potest; ergo requiritur iudicium ad minus probabile de honestate materiæ.

Resp. Honestatem actionis non desumi ex honestate materiæ in se, nec ex iudicio, quo operans probabili-

ter

ter asserit materiam esse honestam; sed desumi formaliter ex eo, quod certò iudicatur materiam esse probabiliter honestam; hoc est ex iudicio certò, & euidenti, quo operans iudicet probabile admodum esse, quod materia sit honesta; hoc autem iudicium stat cum dubio, de quo in secunda conclusione, licet non cum dubio, de quo in prima. Neutrum ergo sequitur ex deductis in argumento; nam cum dubio, de quo in secunda conclusione actio est certò honesta; cum dubio autem, de quo in prima, actio est certò non honesta; vnde cũ hoc dubio operari non possumus, cum illo autem sic.

Dices quarto. *Quod non est ex fide peccatum est*, ex Apostolo; qui autem operatur cum dubio, vtrique non operatur ex fide; ergo peccat.

Resp. Verba illa Apostoli intelligi communiter hoc pacto, quod non est ex fide, hoc est secundum conscientiam; patet autem ex dictis cum dubio, de quo in secunda conclusione adhuc operationem procedere secundum conscientiam, & regulatam à Prudentia; ideo peccatum non est. Similiter illa verba Philosophi supra citata. *Qui non se determinat, sed fluctuat, non operatur, vt debet*; sunt intelligenda quoad operationẽ, non quoad materiam ipsius; hoc est, qui non est certus, sed dubius de honestate suæ actionis, non operatur, vt debet; non verò de honestate materiæ.

Dices vltimo. Videtur esse axioma commune Canonistarum, & Theologorum ex sacris Canonibus desumptum. Ad honestè operandum oportere deponere dubium. Item Pontifex passim docet in dubijs tutiorem partem esse eligendam; ergo illud, de quo dubij sumus, agere non possumus.

Resp. Axioma illud Canonistarum, & Theologorum esse intelligendum quoad actionem; sed non quo-

ad

ad materiam ipsius. Pontifex autem quando docet, in dubijs tutiorem partem esse eligendam, & in dubio non licere operari; est intelligendus de dubio, de quo in prima conclusione, quod oritur ex insufficientia rationum, & carentia rationum probabilium, & verosimilium; non verò de dubio, de quo in secunda conclusione, quod admittit probabiles, & verosimiles rationes, & sufficientem probabilitatem, cum qua possumus agere. Neque hoc gratis dico; nàm in primis in omnibus illis locis, in quibus præcipit Pontifex, in dubio non esse agẽdum, & tutiorem partem esse eligendam, in omnibus inquam illis locis, casus est de dubio, de quo in prima conclusione. Sic patet *in c. ad Audientiam, de homic. volunt.* item *in cap. In præsentia de sponsal.* & alibi; tùm quia glossa *super cap. cit. In præsentia* docet, quod si verosimiliter existimetur coniugem esse mortuum, excusari vxorem, quæ nubit alteri viro, non quia mulier ipsa existimet, hoc enim non requiritur; sed solum quia est probabilis existimatio aliorum; quam Barb. *in Collect. super eodem cap.* dicit sufficere, quod sit probabilis moraliter. Clarissimè autem hoc patet ex *cap. Significasti 2. de homic. volunt.* vbi Pontifex definit, quem in dubio de homicid. censendum irregularem, quia in dubijs tutior pars est tenenda; nisi constet vulnus ab illo inflictum non fuisse lethale. Hoc autem quomodo cõstare debet; Barbos. *in Collect. super hoc cap.* docet, sufficere si duo Medici periti hoc asserant, vel vnus tantũ, vel si duo vocati dissentiant ad inuicem, seniori credendum est, & illi standum. Certè hi non nisi probabilem assensum, & opinionem gignere possunt. Neq; requiritur ex hoc Doctore, qui multos allegat; quod ipse, de quo dubium est, an sit irregularis, putet suum vulnus non fuisse lethale, sed solum, quod duo Medici, vel vnus

peritus

peritus id afferat. Ergo licet quis sit dubius, dum tamen habeat opinionem verè probabilem pro se, perinde est ac si dubium deposuerit, vndè potest agere sine peccato.

Quæres, an cum dubio probabili de probabilitate opinionum possit quis illas eligere.

Resp. Et sit.

SECTIO SEXTA.

An requiratur certitudo, & euidentia de probabilitate opinionis eligendæ, & non sufficiat opinio de ea.

EX dictis satis manifestè sequitur respondendum affirmatiuè, scilicet requiri euidentiam de probabilitate opinionis eligendę, adhoc vt eligi possit prudenter, & sine peccato. Cum enim cognitio de probabilitate opinionis sit vnum ex principijs assumptis à Prudentia ad inferendam conclusionem suam, quæ est dictamen practicum, & regula dirigens operationes nostras; si hoc dictamen, si hæc regula debet esse certa, & euidenter vera, vtiq; requiritur, quod à præmissis certis, & euidentibus oriatur; igitur cognitio de probabilitate opinionis debet esse certa, & euidenter vera. Sic censent multi DD. relati à P. Zacharia Pasqualigo *in opere Decisionum moral. decis.* 18. qui tamen oppositum censet, contra quem sit.

Conclusio prima.

AD prudenter agendum, & sine peccato, requiritur, quod probabilitas opinionis, quæ in praxim deducenda est, sit certò, & euidenter scita.

Probatur conclusio præter dicta, primo quia; vtique

debet dari aliqua regula adhoc, vt cum possimus temerè, vel prudenter opiniones eligere, prudenter illas eligamus, & in praxim deducamus; quæ proinde regula si seruetur, simus certi prudenter nos eligere, & è contra si non seruetur, simus etiam certi nos temere eligere. Hæc enim sunt de conceptu essentiali regulæ, quà regula est. Regula autem, vt prudenter opiniones eligamus, quænam esse potest? Non veritas opinionis, contingit enim opinionem esse falsam, & tamen prudenter eligi. Neq; hoc, quod est intellectum eligentis assentiri opinioni, quam eligit, hoc enim non requiri ostensum est fusè sect. præcedenti, & concedit vltro Pasqual. *decis.* 16. quid ergo remanet, quod assumatur tamquam regula; quod proinde si adsit, prudenter sequatur electio, si verò non adsit, temerè? certè remanet sola probabilitas opinionis; modo sic argumentor;

Probabilitas opinionis eligendæ est regula, adhoc vt opinio possit eligi prudenter, & sine peccato; ergo nō potest contingere, quem eligere opinionem aliquam prudenter, & sine peccato, nisi verè adsit probabilitas in opinione electa; alias si sine illa ille prudenter adhuc agit, illa non erit regula. Impossibile enim est, quod sine regula ad prudenter agendū quis prudenter agat; cum actio ideo sit prudens, quia ex regula sequitur; ergo non per hoc, quod quis opinetur opinionem aliquā esse probabilem, potest per hoc præcisè illam prudenter, & sine peccato eligere; nam cum hoc, quod est opinari aliquam propositionem esse probabilem, potest stare, in illa verè non esse probabilitatem; omnis enim opinio fallibilis est; ergo ad prudenter agendum, & sine peccato, non sufficit opinio de probabilitate opinionis in praxim deducendæ; ergo scientia, & euidentia requiritur.

Secundo

Secundo, quia debet homo esse certus, se prudenter agere, & sine peccato in opinionibus eligendis, & in praxim deducendis; ergo debet esse certus, se agere secundum regulam, ac proinde regulã adesse suas actiones regulando; ergo quia probabilitas opinionis est regula, debet esse certus de illa; vnde non sufficit, quod sit opinata; sed debet esse scita; antecedens probatur, tùm quia ostensum est *sect.* 4. hominem posse, & debere esse certum de honestate suę actionis, seu electionis; tùm quia etiam qui dicunt sufficere iudicium probabile de honestate actionis, dicunt cum hoc hominem esse certum, se prudenter agere; & illud iudicium adhoc requirunt, quia cum illo homo est certus, se prudenter agere; tùm quia homo tenetur seruare regulas Prudentiæ, sed illas seruando est certus, se prudenter agere; ergo homo tenetur esse certus, se prudenter agere; deniq; vel homo qui non est certus se prudenter agere, si sic agat, prudenter agit, vel temerè, vel se exponit dubio agendi prudenter, & periculo agendi temere. Si primum hoc est ridiculũ, si enim sic agendo certò prudẽter agit, quomodo non est certus se prudenter agere? si secundum; ergo peccat; ergo debet esse certus, se prudenter agere? Si tertium ergo temere agit, & peccat, qui enim se exponit periculo agendi temere, ex hoc ipso imprudenter agit; ergo à primo ad vltimum debet homo esse certus, se prudenter agere.

Confirmatur ex Caiet. *in Sum. v. opinionis vsus* docente actiones nostras non posse committi regulandas regulæ ambiguæ, vnde nulli opinioni, quia omnis opinio ambigua est; ergo nequeunt actiones nostræ regulari per opinionem de probabilitate opinionis eligendæ; sed requiritur scientia de illa.

Tertio, quia si verè opinio eligenda non habeat pro-

babilitatem; illam eligens, quia opinatur illam adesse, peccat, vel non. *Si* primum, ideò peccat, quia debebat scire certò, an illa esset, cùm teneretur illam verè existentem sequi. *Si* secundum, ergo si sine illa etiã prudẽs sequitur electio, illa non erit regula; sicut quia etiamsi opinio eligenda non sit vera, adhuc prudenter eligitur, ideò veritas opinionis non est regula electionis. Inquiro ergo, quænam est regula, quæ facit prudentem huiusmodi electionem.

Respondebis. Opinio de ꝓbabilitate opinionis eligẽdę. Sed contrà, hæc opinio de probabilitate opinionis eligendæ, quæ est regula prudentis electionis, requiritur ne, quod sit in se reuera probabilis, an etiamsi non sit probabilis sufficit. Secundum dici non potest; aliter opinio temeraria posset esse regula ad prudenter eligendũ, quod absurdum planè est; Primum autem si dicatur, infero, ergo non potest contingere opinionem hanc in re non esse probabilem, & esse regulam operis; ergo adhoc vt quis prudenter, & sine peccato operetur, requiritur, quod sciat certò, & euidenter hanc probabilitatem in prædicta opinione adesse, & se iuxta illam operari, & quod secundũ illam suam electionẽ regulet.

Neque dicas sufficere, quod opinetur, in hac secunda opinione probabilitatem adesse, per hoc enim, quod sic opinetur, sufficienter cum Prudentia operari.

Contra enim etiam arguo. Ergo regula prudentis electionis non erit amplius secunda opinio, sed hæc tertia. De hac tertia idem formo argumentum. Requiritur quod hæc in se sit probabilis, alias si sit temeraria, non regulabit prudentem electionem; ergo si non sit in se probabilis, imprudenter eliget, si quis iuxta eã operabitur; ergo ad prudenter agendũ requiritur, quod certioretur de probabilitate huius tertiæ opinionis; nec denuò

dicas

dicas sufficere opinionem de probabilitate huius tertiæ opinionis; sequitur enim clarè processus in infinitum; nec vnquã sistimus in aliquo, quod verè regulet actiones nostras. Quod si tandem aliquando concedas, requiri euidentiam de probabilitate huius tertiæ opinionis, quare id non dicis de secunda; requiri scilicet euidentiam de probabilitate secundæ? quæ maior ratio? & si etiam id asseris de secunda, quare non etiam de prima? & per consequens non fateris requiri euidentiam de probabilitate opinionis eligendæ? & quare illam immediatè non constituis regulam electionis prudentis, & sine peccato? quæ maior ratio?
Sanè ratio, quam adducit Pasqualigus loc. cit. vniuersaliter de omni opinione militat, nec magis probat, non requiri euidentiam de probabilitate opinionis eligendę, quàm nõ requiri euidẽtiã probabilitatis in opinione de probabilitate opinionis eligendę, & sic gradatim de singulis opinionibus reflexis enumeratis vsq; in infinitum. Nam est huiusmodi. Qui operatur cũ opinione probabili, operatur conformiter ad rectam rationem, vnde prudenter, & sine peccato operatur. Ergo qui operatur cũ opinione probabili de probabilitate opinionis eligendæ prudenter, & sine peccato operatur.
Sanè hæc ratio gradatim cuilibet opinioni vsq; in infinitum potest applicari, vt constat, vnde vel hoc titulo nihil probat. Directè autem respondeo, quod quando illud, de quo est opinio probabilis, est regula operationis, & prudentis electionis, non sufficit opinio de eo; secus quando est materia operationis; quia regula non debet esse ambigua, dubia, & defectibilis, nec contingens ad esse, vel non esse, alias certò non regularet; vnde quis se exponeret periculo agendi sine sua regula, ac proinde imprudenter; & sic imprudenter, & peccami-

nosè ageret. Sumus autem nunc in casu, quia probabilitas opinionis est regula operationis. Omitto autem modo disputare, an illud principium in antecedenti assumptum sic vniuersaliter, & absolutè prolatum, in quacumq; materia sit verum; de hoc enim fusè d. 3.

Sed fortasse hactenus frustrà laborauimus, in quæstione scilicet de subiecto non supponente. Arbitror enim contingere non posse, quod intellectus tantum possit opinari aliquam propositionem esse probabilem; puto enim ex hoc ipso, quod intellectus possit opinari aliquam propositionem esse probabilem, ex hoc ipso, & ex eodem motiuo scire euidenter posse opinionem esse probabilem, quod non aduerterunt DD., quod vt planum fiat, sit.

Conclusio secunda.

INtellectus potens opinari aliquam propositionem esse probabilem ex hoc ipso, & ex eodem motiuo potest euidenter scire eamdem esse probabilem.

Probatur Conclusio primo quia, illa propositio est euidenter probabilis, cui potest intellectus cum probabili fundamento assentiri; nam si possum ei assentiri cum probabili fundamento; ergo iam opinio habet probabile fundamentum; si habet; ergo probabilis euidenter est; scio enim euidenter illam propositionem esse probabilem, quæ probabile fundamentum habet. Sed intellectus ex hoc ipso, quod circa probabilitatem alicuius opinatur, potest eidem propositioni cum probabili fundamento assentiri; ergo talis propositio ipso facto probabilis euidenter est, ex hoc ipso, quod intellectus possit circa eius probabilitatem opinari. Minor probatur. Fundaměta, quę afficiunt probabilitatem propositionis, afficiunt etiam eiusdem veritatē, & quidem immediatius; nàm a quo moueris ad iudicandum licet

cum

cum formidine propositionem aliquam esse probabilē? Profectò moueris, quia tibi videtur habere valida, & firma fundamenta, & rationes sufficientes pro se, sufficientes inquam ad enunciandum id, quod enunciat. An non ergo motiua, à quibus moueris, immediatius afficiunt ipsam propositionē, seu veritatem ipsius? ergo iam dùm intellectus iudicat, seu opinatur aliquam propositionem esse probabilem, iudicat cum fundamento valido, esse valida fundamenta pro veritate illius. Quare ergo ipsi non potest asentiri, si fundamenta, quæ habet, intellectui prudenter, & diligenter consideranti apparent valida. Deinde quodnam est fundamentum, vi cuius illa videntur valida? profectò eorū robur, eorū vis ab intellectu apprehensa; ergo a primo ad vltimū idē fundamentū, quod sufficit ad opinandum opinionem esse probabilē, sufficit ad eidem cum valido fundamento assentiendum. Quid hinc sequatur, vides.

Et sanè, quod fundamentum habes ad assentiendum huic propositioni E. G. Cambium recursæ esse iustū, est probabile; quod inquam habes probabile fundamētum? Vel DD. graues dicentes Cambium recursæ esse iustum; vel rationes ab intrinseco de iustitia huius Cambij. Hæc autem fundamenta, an non sufficiunt ad opinandum absolutè, Cambium recursæ esse iustum?

Dices. Moueor à DD. asserentibus non esse verum, quod Cambium recursæ sit iustum; sed solum asserentibus esse probabile, quod sit iustum.

Benè. Sed ex hoc motiuo potes opinari cum fundamento valido, Cambium recursæ esse iustum. Nam DD. aserunt probabile esse, quod Cambium recursæ sit iustum; ergo asserunt pro iustitia huius Cambij esse valida fundamenta; ergo potes ex illis fundamentis, quæ ex eorum auctoritate cognoscis valida, credere, & opi-

nari

nari prædictum Cambium esse iustum; ergo hoc, quod est, prædictum Cambium esse iustum, est tibi euidenter probabile; habes enim fundamenta, quæ ex hoc cõstat tibi esse euidenter probabilia, quia videntur talia viris doctis, & prudentibus.

Dices. Formido, an DD. pro opinione eligenda allati sint re vera graues, & sufficientis auctoritatis; item formido, an rationes allatæ sint verè validæ.

Contra. Vel qui sic loqueris, es idiota, vel doctus. Si primum, tibi euidens est, & certum DD. pro vna sententia esse sufficientes, & rationes esse validas, quando Doctor, qui communiter censetur prudens, dicit tibi opinionem esse probabilem, habere graues DD. & rationes; nec in hoc debes formidare. Si secundum. Sunt ne tales, vt cum valido fundamento possint iudicari sufficientes, tàm DD. quàm rationes, vel non? si primum ipso facto sunt euidenter graues, & validæ, & probabilem opinionem constituunt; si secundum, non solum formidare, sed absolutè nec potes opinari probabilem esse opinionem ipsis munitam.

Hinc infero, quod si quis opinetur tantum opinionem aliquam esse probabilem, ac proinde formidet de eius probabilitate, hæc formido non oritur ex motiuo de se scientifico, & apto nato, si benè intelligatur, omnem formidinem expellere; sed ex defectu suæ intelligentiæ; vnde simpliciter habebit scientiam, seu ex parte præsentis motiui, licet explicitè id nesciat. An autem putans se tantum opinari, & non scire opinionem eligendam esse probabilem, si illam in praxim deducat, peccet. Resp. affirmatiuè, quia cum putet, se non habere regulam necessariã ad prudenter eligendũ, nihilominus vult eligere; vnde quantum est ex se, se exponit periculo imprudenter agendi; & per hoc peccat.

Secundo

Secundò probatur Conclusio, quia debet quis ad minus euidenter nosse opinionem de probabilitate opinionis eligendæ esse probabilem, ne detur processus in infinitum, vt ostensum est supra; sed ex hoc ipso habetur euidentia de probabilitate opinionis eligendæ; ergo &c. Minorem probo, Est euidens hanc propositionem (opinio eligenda est probabilis) esse probabilem; ergo est euidẽs obiectum huius propositionis esse probabile; sed obiectum est probabilitas opinionis eligendæ; ergo est euidens probabilitas opinionis eligendæ, dum est euidens esse probabilem opinionẽ de probabilitate opinionis eligendæ, seù dùm est euidens esse probabilem propositionem, quæ asserit opinionem eligẽdam esse probabilem.

Hæc enim est differentia omninò adnotanda inter veritatem, & probabilitatem propositionum; quòd nõ per hoc, quod ego opinor aliquid esse verum, proinde illud est statim euidenter verum; secus dum opinor, esse probabile, statim illud est euidenter probabile; & hoc procedit ex eo, quod non ideo obiectum in se est certò verum, quia ego illud opinor, seu quia euidenter habeo motiuum ad illud opinandum; quod enim sit verum, pendet id à re in se independenter ab intellectu; at verò rem esse probabilem non pendet à re in se, sed à motiuo probabili; igitur ex hoc ipso, quod habeo motiuum probabile pro veritate, non statim oritur, rẽ esse veram; at verò econtra ex hoc, quod habeo motiuum probabile pro probabilitate, res statim euadit euidenter probabilis certò, & infallibiliter; quia iam habet causam certam, & infallibilem sui.

De probabilitate Opinionum.

DEfinitum est disputatione præcedenti adhoc vt operatio nostra sit honesta, & actus Prudentiæ, requiri, quod euidenter cognoscatur materiam eligendam esse probabiliter honestam; hoc est dari probabilem opinionem de honestate materiæ, quæ eligitur. Nunc examinandum est, in quo consistat probabilitas, & quid requiratur, & sufficiat, adhoc vt aliqua opinio sit verè simpliciter probabilis.

SECTIO PRIMA.

Quænam sit opinio verè probabilis.

PRobabilitas, à qua opinio denominatur probabilis, nihil est aliud quàm apparentia veritatis ex aliquo motiuo non leui deducta. Apparentia veritatis est ratio generica ad enunciationes fallaces, & sophisticas, & ad probabiles; etiam enim fallaces sunt apparenter veræ; ly verò ex aliquo motiuo non leui est differentia constitutiua enunciationis in esse probabili. Et sanè apparentia dicimus illa, quæ licet prima facie aliquā præseferant speciem veritatis, comperiuntur tamen euidenter falsa. Sic in externis colores Iridis dicimus apparentes, quia licet oculis nostris videantur reales colores; scimus tamen euidenter aliunde, esse colores omninò fictos, & esse puram lucis reflexionem; At verò probabilia dicimus, de quorum falsitate non constat, & aliunde habent motiuum veritatis.

Ex quo colligitur primo probabilitatem consistere in positiuo, & in negatiuo. In positiuo, hoc est in medio, & motiuo veritatem præferente. In negatiuo, hoc

est in negatione rationis in oppositum conuincentis; facta prius sufficienti diligentia, & inquisitione rationum in contrarium. Neque enim per hoc aliquid erit probabile, quia primo intuitu apparet ratio sufficiens veritatis, & nulla ratio conuincens in oppositum; sed requiritur, quod prius fiat sufficiens inquisitio rationum, vel supponatur cum fundamento facta ab eo, cuius quis sententiam sequitur.

Ita autem desumitur probabilitas à negatiuo, vt negatiuum essentialiter requiratur; etiamsi enim habeas sufficientem, & non leuis ponderis rationem ad affirmandum, si simul habeas conuincentem rationem ad negandum, non remanet affirmatiua probabilis. Sic non est probabilis propositio hæc. Colores Iridis sunt reales; licet pro hac affirmatiua sit validissima ratio, nempe visio; quia nimirum in oppositum sunt rationes conuincentes. Et ratio est à priori, quia vbi est conuincens ratio pro parte negatiua, negatiua est euidenter vera; ergo quia non potest idem esse, & non esse, affirmatiua est euidenter falsa; sed cum euidenti falsitate non stat probabilitas, sed ad summum apparentia fallax; ergo quando est conuincens ratio in contrarium, non remanet enunciatio probabilis. An verò similiter requiratur positiuum essentialiter, dicam infra; sicut etiam, an aliqua opinio apud aliquem non amittat suam probabilitatem, etiamsi ille conuincatur, nec sciat respondere rationi adductæ, pro parte opposita.

Colligitur secundo; probabile dici respectiuè ad cognoscentem: vnde in se nulla propositio est probabilis, sed vel in se est vera, vel falsa. Est autem probabile in ordine ad intellectum imperfectè cognoscentem; cui cum non appareat euidenter, qualis sit res, & an cognitio sit conformis rei, vel difformis, sed in obscuro ma-

neat, apparet tantum aliquod motiuum veritatis; hinc est, quod respectu Dei nulla propositio est simpliciter probabilis, sed euidenter vel vera, vel falsa; Item est aliquid probabile vni intellectui, quod non est alteri; puta, quia aliquis euidenter cognoscit aliquid, quod obscurũ adhuc manet alicui; vel quia vnus melius percipit vim alicuius rationis, quam non percipit alter, qui proinde opinatur, seu probabilem iudicat propositionem tali ratione munitam.

Colligitur tertio non esse idem, sed longè diuersum iudicare, aliquam propositionem esse probabilem, & eidem probabiliter assentiri. Quod ingeniosè notauit Candidus Philalethus *in illa sua disputatione de opinionum praxi* multis in locis. Et sanè est quidem idem iudicare propositionem aliquam esse veram, & illi assentiri; nam quid est iudicare propositionem esse veram? nihil aliud profectò nisi rem se habere sicut enunciatur; hoc autem formalissimè est assentiri. At iudicare propositionem esse probabilem, est iudicare, quod propositio habeat sufficiens motiuum veritatis, quod cum non leui fundamento enunciet id, quod enunciat; quod profecto nullo pacto est illi assentiri. Adhuc enim possum dubitare, & remanere suspensus, an res ita se habeat, sicut enunciatur; præterquam quod euidenter iudicatur, & scitur opinionem esse probabilem, quod certè sonat actum scientificum, & euidentem: igitur non potest esse idem, ac probabiliter assentiri, quod sonat actum obscurum, & formidolosum; Addo quod potest opinio, quæ iudicatur falsa, & cui intellectus dissentit in sensu composito iudicari probabilis, vt *sectione sequenti*. Igitur iudicare opinionem esse probabilem, non est illi assentiri, nec enim assensus potest stare cum dissensu.

Colligi-

Colligitur quarto. Quare probabili possit subesse falsum, quia cum probabile non dicat veritatem, sed solum apparentiam veritatis, cum hac quantumuis maxima potest stare falsitas. Et hinc oritur, quod ex opinione probabili, semper nata est sequi formido de parte opposita, eo quod motiuum, quod illa habet suæ veritatis, non est infallibile.

Cęterum motiuum, ex quo desumitur probabilitas opinionis est duplex, Aliud intrinsecum, aliud extrinsecum; Intrinsecum est ratio desumpta ex natura rei, vel ex aliquo ex locis topicis. Extrinsecum vero est auctoritas dicentis, & talem propositionem asserentis. Quia autem sicut se habet simpliciter, ad simpliciter, ita magis ad magis; Ideo probabilior opinio illa erit, quę habet validiorem rationem, & grauiores DD. auctoritates: æquè autem probabiles illæ dicentur, quæ paris ponderis rationes, & auctoritates habent.

Auctoritas autem DD. desumitur ex duplici capite, ex sanctitate, & doctrina. Quia autem hæc sunt interna, arguuntur ex extrinsecis, puta sanctitas ex statu. Vnde cęteris paribus grauioris auctoritatis est Religiosus, quàm Sęcularis. Doctrina ex ætate, & ex effectibus. Sic cęteris paribus grauioris est auctoritatis Doctor senior, quàm iunior, qui Typis edidit, quàm qui secus. Dixi senior, quàm iunior, non verò antiquior, quàm recentior; neque enim ex eo, quod quis floruerit antiquitùs præsumitur esse magis doctus, cum scientiæ non fuerint magis tunc, quàm nunc; immo nunc sint magis subtilizatæ. Sicut nec ingenia sunt nunc deteriora. Adde quod recentiores plura habent, quæ videant, & legant, quàm antiqui. Vnde benè dixit Castr. Pal. *in suo opere mor. d. 2. punct. 1. Quod Ecclesia Dei semper illuminatur quotidie magis:*

neat, apparet tantum aliquod motiuum veritatis; hinc est, quod respectu Dei nulla propositio est simpliciter probabilis, sed euidenter vel vera, vel falsa; Item est aliquid probabile vni intellectui, quod non est alteri; puta, quia aliquis euidenter cognoscit aliquid, quod obscurũ adhuc manet alicui; vel quia vnus melius percipit vim alicuius rationis, quam non percipit alter, qui proinde opinatur, seu probabilem iudicat propositionem tali ratione munitam.

Colligitur tertio non esse idem, sed longè diuersum iudicare, aliquam propositionem esse probabilem, & eidem probabiliter assentiri. Quod ingeniosè notauit Candidus Philalethus *in illa sua disputatione de opinionum praxi* multis in locis. Et sanè est quidem idem iudicare propositionem aliquam esse veram, & illi assentiri; nam quid est iudicare propositionem esse veram? nihil aliud profectò nisi rem se habere sicut enunciatur; hoc autem formalissimè est assentiri. At iudicare propositionem esse probabilem, est iudicare, quod propositio habeat sufficiens motiuum veritatis, quod cum non leui fundamento enunciet id, quod enunciat; quod profectò nullo pacto est illi assentiri. Adhuc enim possum dubitare, & remanere suspensus, an res ita se habeat, sicut enunciatur; præterquam quod euidenter iudicatur, & scitur opinionem esse probabilem, quod certè sonat actum scientificum, & euidentem: igitur non potest esse idem, ac probabiliter assentiri, quod sonat actum obscurum, & formidolosum; Addo quod potest opinio, quæ iudicatur falsa, & cui intellectus dissentit in sensu composito iudicari probabilis, vt *sectione sequenti*. Igitur iudicare opinionem esse probabilem, non est illi assentiri, nec enim assensus potest stare cum dissensu.

Colligi-

Colligitur quarto. Quare probabili possit subesse falsum., quia cum probabile non dicat veritatem, sed solum apparentiam veritatis, cum hac quantumuis maxima potest stare falsitas. Et hinc oritur, quod ex opinione probabili, semper nata est sequi formido de parte opposita, eo quod motiuum, quod illa habet suæ veritatis, non est infallibile.

Cęterum motiuum, ex quō desumitur probabilitas opinionis est duplex, Aliud intrinsecum, aliud extrinsecum; Intrinsecum est ratio desumpta ex natura rei, vel ex aliquo ex locis topicis. Extrinsecum vero est auctoritas dicentis; & talem propositionem asserentis. Quia autem sicut se habet simpliciter, ad simpliciter, ita magis ad magis; Ideo probabilior opinio illa erit, quę habet validiorem rationem, & grauiores DD. auctoritates: æquè autem probabiles illæ dicentur, quæ paris ponderis rationes, & auctoritates habent.

Auctoritas autem DD. desumitur ex duplici capite, ex sanctitate, & doctrina. Quia autem hæc sunt interna, arguuntur ex extrinsecis, puta sanctitas ex statu. Vnde cęteris paribus grauioris auctoritatis est Religiosus, quàm Sęcularis. Doctrina ex ætate, & ex effectibus. Sic cęteris paribus grauioris est auctoritatis Doctor senior, quàm iunior, qui Typis edidit, quàm qui secus. Dixi senior, quàm iunior, non verò antiquior, quàm recentior; neque enim ex eo, quod quis floruerit antiquitùs præsumitur esse magis doctus, cum scientiæ non fuerint magis tunc, quàm nunc; immo nunc sint magis subtilizatæ. Sicut nec ingenia sunt nunc deteriora. Adde quod recentiores plura habent, quæ videant, & legant, quàm antiqui. Vnde benè dixit Castr. Pal. *in suo oper. mor. d. 2. punct. 1. Quod Ecclesia Dei semper illuminatur quotidie magis*:

Dixi, requiri ad auctoritatem sanctitatem, & doctrinam, quia ad testimonium requiritur, quod non fallatur, nec fallat. Vnde Dei testimonium ideò certissimū est, quia nec fallere potest, nec falli. Sanctitas autem efficit, ne Doctor fallat, doctrina verò ne fallatur. His autem positis, quæ certissima sunt, sit.

Conclusio Prima.

Omnes illæ opiniones, quæ censurari nequeunt, absolutè, & simpliciter probabiles sunt. Censuræ autem propositionum sunt assignatæ in Concilio Constantiensi *sess.*8.*&* 15. & sunt hæ; hereticæ; erroneæ, errori proximæ; scandalosæ; blasphœmæ; piarū aurium offensiuæ; temerariæ, & seditiosæ.

Conclusio probatur, quia omnis propositio debet esse simpliciter in aliqua specie. Sed præter has species propositionum enumeratas nullæ aliæ dantur, nisi vel probabiles vel veræ; ergo propositiones, quæ non sunt de prædictis speciebus, vel erunt veræ, vel ad minus probabiles. Maior patet ex terminis. Minor probatur. Nam quæ demùm hæc species erit.

Dices. Falsa. Contra euidenter, quia vel ly falsa importat falsitatem, & errorem clarè, vel vehementem suspicionē de errore; vel leuem suspicionem; nec enim aliud potest importare ly falsa. Si dicis primum, vel secundum; ly falsa reperitur in speciebus allatis; in illis nempe; erroneæ, vel errori proximæ; vnde propositio, quæ non est de illis speciebus non potest hoc pacto dici falsa; si dicis tertium; leuis suspicio de falsitate non tollit probabilitatem ab opinione; in illa siquidem inuoluitur. Opinioni enim quantumuis probabili potest subesse falsum; vnde ipsi est annexa formido de veritate ipsius; ac proinde suspicio falsitatis: igitur adhuc erit probabi-

lis

lis opinio etiamsi sit leuiter suspecta de falsitate.

Dices. Datur species opinionis improbabilis. Contra etiam manifestè, quia ad hoc vt aliqua opinio sit improbabilis, debet carere omni fundamento non leui, auctoritate, & ratione; hæc autem opinio ipso facto est temeraria; temerè enim asseritur, quod sine fundamento alicuius ponderis asseritur; igitur hæc species non distinguetur ab omnibus allatis; igitur opinio, quæ temeraria non est, improbabilis non est. Ideo enim nequit dici temeraria, quia non temerè, sed cum fundamento alicuius ponderis procedit; sic autem probabilis semper est.

Dices. Datur species opinionis laxæ. Contra pariter, quia laxitas simpliciter in opinione non est defectus, nec facit illam non esse probabilem. Quid enim est opinionem esse laxam? est non restringere. Ex hoc autem potius opinio probabilitatem acquirit, *Iugum enim Dei suaue est, & onus ipsius leue*. Quin multæ opiniones laxæ sunt probabiles, cum restringentes parùm habeāt probabilitatis. Talis est opinio asserens, nō esse necesse, statim post peccatum confiteri, cum opposita, quæ restringit, parùm, vel nihil probabilis est.

Igitur non à laxitate simpliciter desumitur improbabilitas, sed à laxitate plus ęquo. Opinio autem, quæ est laxa plus ęquo, vel erronea, vel errori proxima, vel temeraria est; ꝗ si secus, temerè dicitur laxa plus ęquo.

Secundo probatur Conclusio. Opinio, quæ nec dici potest continere errorem, nec proximà errori, & ex alia parte non leui fulcitur fundamento, profectò apparet cum fundamento vera; sed talis est simpliciter probabilis; ergo opinio, quæ nulla ex allatis censuris potest affici, probabilis simpliciter dicenda est.

Hic videant, qui aliorum sententias de facili, vt impro-

probabiles damnant, quas profectò non auderent vlla ex prædictis censuris afficere. Hic autem solùm aduerto, quod ad hoc, vt aliqua propositio possit censurari tamquam erronea, vel suspecta de vehementi, non sufficit, quod aliquis illam iudicet falsam, vel continere errorem, vel esse proximam errori; sed debet euidenter hoc nosse, cui suæ euidentiæ non debet multum fidere, cum possit esse, quod facilè decipiatur. Item nec sufficit, quod communiter opposita reputetur vera, & illa continere errorem, vel opposita esse certa reputetur communiter; sed etiam, quod hęc opinio, quæ est contra communem, communis rationes nō soluat, nec probabiliter; potest enim contingere, quod aliqua propositio, quæ nunc habetur pro certa, euadat tantum probabilis, eo quod consurgat vnus, vel plures DD. qui oppositum doceant firma ratione, soluendo rationes partis contrariæ, & suam etiam efficiant probabilem; vt multoties contigit in Ecclesia Dei. Vid. P. Zachar. Pasqual. *in decis. mor. decis.* 369.

Hinc inferas, multò plus requiri ad condemnandam aliquam opinionem, vt erroneam, errori proximam, temerariam, & improbabilem, quam ad asserendum esse falsam. Et sanè multas opiniones tàm in Philosophia, quàm in Theologia ego dicam falsas, quas profectò non auderem dicere, nec erroneas, nec temerarias, nec improbabiles. Et si illas tales assererem, errarem ego, & temerarius essem.

Hic autem aduertas, non statim ex hoc, quod aliqua opinio possit aliqua ex allatis censuris affici, quod eo ipso sit improbabilis; puto enim aliquam propositionem posse remanere probabilem, etiamsi possit censurari, vel vt scandalosa, vel vt seditiosa, vel vt piarum aurium offensiua. Et ratio est à priori, quia hę censuræ non concernunt

cernunt veritatem, vel fundamentum veritatis, quod habeat propositio, sed solum promulgationem ipsius ex malis effectibus, quos parere potest; puta, quia potest cõmouere populum, offendere pias aures; cum hoc autẽ stat, quod propositio sit vera, non modo probabilis; quod quidem intelligas, si propositio sit tantùm scandalosa, vel tantùm seditiosa, vel piarum aurium offensiua. Multoties enim contingit, quod propositio, quæ scandalosa dicitur, sit erronea, vel proxima errori. Sit exemplum scandalosæ propositionis, & piarum auriũ offensiuæ, quod affert Bann. *in 2. 2. q. 11. a. secundo in fine.* Si quis Cõcionator exaggeraret mala, quę sequi possunt, & aliquando sunt secuta ex Sacramento Pęnitentiæ, non per se vi Sacramenti, sed ex malitia ministrorũ. Hæc exaggeratio esset scandalosa, quia potest retrahere fideles à tali Sacramento; & nihilominus nihil falsi profectò diceret ille; vndè non cogeretur à sacræ fidei Inquisitoribus existimare oppositum, nempè ex malitia ministrorum non posse sequi, vel aliquando non esse secuta maxima mala; sed tantum cogeretur amplius similia non proferre, ne pareret scandalum, & ne pias aures offenderet. Et sanè si propositio neque est erronea, neque est proxima errori, neque temeraria; ergo nullum errorem sapit; & cum ex alia parte non leue habeat fundamentum, aliàs temeraria esset: quare in se probabilis non erit? Censurabitur autem, in quantum promulgata posset aliquod damnum parere. Vndè prohibebitur promulgatio, & publicatio; non verò, quod in se quisque illi non possit assentiri, & viro docto, qui nullum scandalum est passurus, communicare.

Conclusio

Conclusio secunda.

OPinio vnius singularis viri fixa firmo fundamento probabilis est, etiam contra communem. Sic præter multos recentiores, quos citat, & sequitur Pasqual. *in opere cit. decis. mor. decis.* 360. docet in terminis Nauar. multis in locis, pręcipuè verò *cōs.* 65. *de Præbend.* vbi eam dicit pręualere communi. Intellige, si cōmunis non habeat tàm firmam rationem.

Probatur Conclusio primo quia, quod cum graui fundamento veritatis dicitur, probabile ipso facto est; ergo opinio, quę habet graue fundamentum veritatis, erit probabilis; quod enim desit auctoritas DD. parum refert; nam auctoritas per se non suffragatur opinioni ad eam reddendam probabilē, sed solum in quantum esse annexa rationi supponitur, seu in quantum dat pondus rationi, quæ ex hoc censetur efficacior, quod multos mouerit; vnde auctoritas ad probabilizandam opinionem concurrit solum pręsumptiuè, non formaliter; igitur ex hoc ipso, quod ratio de se est magni ponderis, absq; eo, quod accipiat pondus ab auctoritate DD. se sola potest reddere probabilem opinionem. Et sanè plus à ratione, quàm ab auctoritate desumi probabilitatem sicut, & veritatem opinionum, patet: tùm ex *cap. Capellanus de ferijs*, vbi Pontifex in electione vnius ex duabus opinionibus, illam non præfert, quæ maiori DD. parte erat munita, sed quæ ratione potiori, nulla habita ratione auctoritatis DD. tùm etiam quia si mille essent DD. ex vna parte, quos mihi constaret moueri sine ratione, sed gratis, vel etiam cum leuī fundamento, quia parum pro nihilo reputatur, opinionem illorum improbabilem iudicarem. Et ratio est à priori, quia auctoritas, quæ probabilizat opinionem est auctoritas sapien-

tum,

rum & prudentũ prudenter loquentiũ; qui autẽ temerè, & gratis, vel quasi gratis, idest cum leui fundamento loquuntur; non vt sapientes, & prudentes, sed vt imprudentes, ac psittaci loquuntur; ergo à primo ad vltimum tota probabilitas opinionum per se refunditur in rationem.

Secundo, quia opinio opposita licet communis non est certa, sed probabilis; igitur opposita licet singularis poterit esse probabilis. Neq; vnitas Doctoris officit, nam quandoq; inuenit vnus veritatem, quam non inuenere plures, vt docet gl. *in c. ad nostram de consuet. v. incipientibus*. & est t. optimus *in l. 1. §. neq; C. de veteri Iure enucl.* vbi dicitur, quod vnius, & deterioris sententia potest multos, & maiores aliqua in parte superare. Quẽ textum commendat Abbas *c. 1. de Const. vers. 2. casu principali*. Tùm etiam quia, omnes opiniones probabiles, quomodo fuerunt introductæ? hoc modo profectò. Vnus prius illas docuit, deinde alter; sanè enim ferè nunquam contigit, vt plures simul veluti conspirantes vnam sententiam tradiderint.

Hæc tamen Conclusio ita est intelligenda, quando scilicet opposita communis non haberet pro se legem, vel decretum Pontificis; tunc enim certa redditur, & cessat probabilitas oppositæ, non solum si vno tantum, sed etiam si mille DD. esset munita. Et inde est, quod plures opiniones, quæ antiquitus erant probabiles, modò sunt improbabiles, quia scilicet superuenit aliqua definitio, vel decretum, quod certificando oppositas, illas abrogauit. Et inde est, quod de opinionibus antiquorum, quando sunt singulares, dubitare debemus, an sint probabiles, quia scilicet dubitandum est, an sint abrogatæ; quod non accidit circa opiniones recentiorũ, qui cũ sint posteriores Decretis, & Constitutionibus

Pontificum,& censeantur illas nosse, certò præsumuntur non docere sententias abrogatas.

Limitant etiam aliqui, nisi communiter iudicaretur continere errorem, vel esse periculosa. Verum in hoc est distinguendum. Vel enim hoc iudicium reddit certum, quod opinio singularis opposita communi contineat errorem, & sit periculosa; vel non, sed tantum probabile; si primum optima est limitatio; secus si secundum. Nàm cum probabilitate erroris stat probabilitas veritatis,& cum probabilitate periculi, stat probabitas securitatis. Vnde benè Nau. *Cons.tit.de Præb.*, vt refertur *in compendio eiusdem v. opinio*, docet, quod *communis opinio circa fidem, & bonos mores, quam omnes Catholici sequuntur, periculosè relinquitur, nisi adsit lex, vel firma ratio in contrarium*. Ergo infero, non periculosè relinquitur opinio omnium Catholicorum etiã in materia morum, & fidei cum firma ratione. Limita nisi communis consensus omnium DD. in materia fidei esset talis, vt quasi faceret rem de fide, & talis cõsensus esset argumentum certissimum, & irrefragabile; tunc enim opinio contraria, quæ insurgeret, siue esset vnius, siue plurium, nullo modo posset esse probabilis. Idem dic de alia limitatione, quam apponunt aliqui, ne scilicet sit opinio singularis antiquata.

Quæres. Quænam dicenda sit firma ratio. Hoc relinquitur iudicio viri docti. Hoc solum aduerto firmã rationem non esse illam, quę solui non potest, hęc enim non est firma, sed certa, & euidens, constituens non opinionem probabilem, sed certam scientiam. Illa ergo erit firma ratio, quæ solui poterit, imo soluetur, sed quomodo? Non euidenter, alias non erit firma, sed certè leuissima, nulla, & sophistica. Sed probabiliter tantum, hoc est, quæ ita soluetur, vt tamen adhuc remaneat

neat

neat dubium, & formido de veritate ipsius, & quidem rationabilis.

Quæres secundo. Auctoritas sola alicuius viri docti sine ratione sufficitne ad probabilizandam sententiam?

Resp. Quod sic. Si sit vir magni nominis, & maximæ doctrinæ, & non incidenter, sed resolutoriè talem sententiam proferat. Et probatur, quia licet ratio non adsit explicitè apposita, præsumitur tamen adesse, & certò præsumitur, nec enim vir magni nominis, & doctrinæ gratis loqui, & temerè definire præsumitur. Et sanè si quis priscis temporibus florente D. Thoma, Caiet, Nau. Suar. Sanch. &c. ad quos tamquam ad oracula orbis vniuersus confugiebat, si quis inquam aliquẽ eorum expostulasset super aliqua materia, & iuxta eorum responsionem egisset; an non prudenter, & cum probabili iudicio egisset? Igitur multò magis si horum, vel his similium sententia reperiatur scriptis consignata, & typis edita erit probabilis; cùm à scriptura, & editione pondus acquirat, non amittat opinio.

Quid autem dicendum, si in responsione, vt dicitur ad argumenta, aliquis Doctor egregius singularem sententiam tradat. Resp. Quod si illam probat, profectò est probabilis; parum enim refert, & est differentia merè materialis, quod ponatur vel in corpore, vel in responsione ad argumenta, si illam probat, ratio enim, non locus probabilizat sententiã. Si verò non probat, distinguendum est; vel illam docet nulla coactus necessitate, & tunc probabilis est, recurrit enim ratio allata §. antecedenti; Si verò impellitur ad id dicendum, vi argumenti, cui debet respondere, profectò non hoc ipso cẽserem illam probabilem, multa enim quandoq; dicimus vt respondeamus argumentis, quibus premimur, alioquin si nulla cogeremur necessitate non dicturi.

Conclusio Tertia.

Opinio, quæ tollit obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, ex quocumq; capite oriatur obligatio, probabilis est, etiamsi nulla ratione positiua fulciatur; dũmodo soluat omnia argumenta in contrariũ. Opinio autẽ, quæ obligat, nõ est probabilis, nisi positiuè probet, vel habeat sufficientem DD. auctoritatem.

Prima Conclusionis pars probatur euidenter, quia sentẽtia, quę ostendit nullũ esse Ius, ꝙ obliget ad agendũ, vel omittendũ, ostendit ipso facto nullam esse obligationem, quæ à iure oritur; & quidem si euidenter ostendat nullum esse Ius, (siuè diuinum, siuè naturale, siuè positiuum, & hoc siuè particulare, siue vniuersale, siuè scriptum, siuè non scriptum) ostendit euidenter nullam esse obligationem, & ipsa sententia euidens est. Si autem solùm probabiliter ostendat nullum esse Ius, solum etiam probabiliter tollit obligationem, & ipsa sententia probabilis est: homo enim natura sua liber est ad omnia, vbi nullum Ius vrget, sua potest libertate frui. Sed nullum esse Ius non ostenditur argumento positiuo, sed negatiuo, soluendo argumenta, ergo sententia per hoc præcisè tollit obligationem, quod soluat argumenta, & rationes allatas iuris, & obligationis inductiuas; & quidem si soluat euidenter euidens erit, si probabiliter probabilis. Minor probatur, quia non potest ostendi nullum esse ius, nisi destruendo ius, & rationes, quę profectò nullatenus melius destruũtur, quàm per hoc quod soluantur; nec enim destruuntur per rationes positiuas oppositas, sed ad summum ostenduntur, esse solubiles; destruuntur autem formaliter per solutionem; ergo ex hoc præcisè, quod soluantur argumẽta in contrarium, opinio negans obligationem probabilis

bilis

bilis erit; ex hoc enim præcisè destruet omne Ius, ex quo consurgit obligatio.

Confirmatur, quia asserentis est probare, negantis autem est respondere, qui enim asserit, quia aliquid imponit, & actor est, ad hoc vt aliquid efficiat, debet probare. Qui autem negat, & qui reus est, sufficienter probat, & se tuetur, si ostendit nullas rationes esse, quas affert actor, vnde est axioma; *Actore non probante reus absoluitur*; etiamsi nullam rationem positiuam pro se afferat: dummodo infringat rationes actoris; ergo sententia, quę negat esse obligationem, sufficienter est probabilis, si soluat probabiliter, & respondeat omnibus rationibus obligationem inducentibus.

Confirmatur secundo. Ideò sententia, quæ aliquid attribuit diuinæ potentiæ, si soluat argumenta in contrarium, per hoc præcisè est probabilis, vel euidens, prout illa soluit, quia vbi nulla est ratio in contrarium, Deus oĩa potest efficere, ergo similitèr per hoc prę cisè, quod soluãtur argumenta in contrarium, si probabiliter probabilis, si euidenter euidens erit sententia negans obligationem, quia vbi nullum est ius, & nulla ratio in contrarium, homo est liber, & omnia pro libito potest efficere.

Confirmatur tertio. Si constaret euidenter rationes, quæ inducunt obligationem nullas esse, profectò euidens esset nullam dari obligationem: oritur enim obligatio à rationibus, quæ illam inducunt, vndè illis cessantibus, ex hoc præcisè illa cessat: cesſãte enim causa adęquata, cessat effectus; ergo quando probabilter constat rationes obligationem inducentes nullas esse, probabile erit nullam dari obligationem; constat autem probabiliter rationes obligationem inducentes nullas esse, quando probabiliter soluuntur.

Secun-

Secunda item Conclusiones pars patet, quia obligatio non præsumitur, nisi probetur: natura enim cum pro obligatione non clamet, sed pro libertate, illa profectò probari debet; igitur omnis obligatio, siue orta à iure diuino, siuè naturali, siuè positiuo, siuè consuetudine, voto, seu iuramento, nisi probetur positiuè, non obligat, nec afficit, ac proinde sententia, quæ huiusmodi obligationem negat, si probationes probabiliter diluat, per hoc præcisè probabilis est.

Hinc autem à contrario collige, quod vbi constat de causa aliqua obligante puta, vel præcepto positiuo, vel voto &c. sententia, quæ negat teneri aliquem ad effectus, qui sequuntur ex dicta obligatione, adhoc vt sit probabilis debet positiuè probare; & è contra sententia asserens teneri, sufficit, adhoc vt sit probabilis, quod soluat argumenta. Ratio est manifesta. Quia causa semper clamat pro suis effectibus, qui semper præsumuntur ex causa sequi, nisi probetur oppositum, ergo negans sequi, tenetur probare, secus asserens. Idem dic de sententia negante obseruantiam præcepti, de quo constat, probabilem scilicet non esse, nisi probet, secus de asserente. Puta, constat de præcepto Ecclesiastico, de audiēdo sacro in die festo, sententia negans hic, & nunc aliquem teneri, nisi probet afferendo causam excusantē, probabilis non est.

Conclusio Quarta.

Opinio non desinit esse probabilis respectu alicuius, per hoc quod ipse nesciat respondere rationibus allatis pro opposita sententia. Pro qua cōclusione.

Aduerte aliud esse omninò pro opposita sententia esse rationem conuincentem, quæ euidenter ostendat veritatem illius; aliud verò esse rationem aliquam talē,

cui

cui hic, & nunc ego reſpondere neſciam; vndè mihi videatur conuincens. In primo enim caſu eſt ſenſus abſolutus, & ſimpliciter; in ſecundo verò reſpectiuus, & ſecundum quid. Adeò autem ſunt diuerſi iſti ſenſus, vt vnus poſſit eſſe ſine alio; nam cum hoc, quod aliqua ratio me conuincat, cui neſciam reſpondere, ſtat, quòd illa ratio non modo ſit tantum probabilis, ſed ſophiſtica. Item poteſt ſtare, quod alij, vel prædictam rationem mihi viſam conuincentem ſoluant, vel poſſint ſoluere; quæ tamen non poſſunt ſubſiſtere, cum hoc, quod abſolutè prò aliqua ſententia ſit ratio aliqua euidens, & conuincens; ſi enim re vera eſt talis, nullus poterit ei reſpondere, vndè oppoſita ſententia nullo pacto erit probabilis, nec vllo pacto poterit eſſe vera. Verum enim vero non aduerſatur; ſecus autem id continget, quando pro aliqua ſentētia erit aliqua ratio mihi viſa conuincēs; tunc enim etiam oppoſita poterit eſſe vera, & probabilis. Et ratio intrinſecæ diſparitatis eſt, quia vis rationis in hoc caſu nō tàm oritur ex natura rei, quàm ex debilitate mei ingenij, quod neſcit fallaciam dignoſcere, quæ proinde debilitas non poteſt præiudicare oppoſitę ſententiæ, ſecus in alio caſu. Ex quo ſic.

Probatur Concluſio. Primo à priori, quia per hoc, quod ego neſciam reſpondere ſententiæ oppoſitæ rationibus, non per hoc oppoſita ſententia euadit certò vera. Quod enim ego neſciam reſpondere, tàm poteſt oriri ex vi rationis, quàm ex imbecillitate mea, de qua ſemper debeo dubitare; ergo eſt adhuc in dubio eius veritas; ergo nō egreditur hæc ſententia, tali licet munita ratione, fines ſententiæ probabilis; igitur oppoſita adhuc remanet probabilis; quantumuis enim excreſcat vna ſententia in probabilitate, nunquam tollit probabilitatem ſententiæ oppoſitæ.

Secundo

Secundo probatur à posteriori, quia aliàs idiotis, & etiam parùm doctis nullæ sententiæ essent probabiles; nàm nesciunt argumentis respondere, si à subtili arguente proponantur. Et quod ridiculum erit, ipsis nulla pars erit probabilis, neutrius enim partis argumentis sciunt respondere; ergo si illis sententiæ sunt probabiles, quia licet nesciant argumenta soluere, sciunt tamen alios illa soluere, & defectũ solutionis non oriri ex vi, & efficacia rationum, sed ex ipsorum debilitate; pariter idem dicatur vniuersaliter respectu quorumcumq; nemo enim est tàm doctus, qui tandem non deficiat, & quo doctiores plures non dentur. Vndè quilibet iure optimo in propriam imbecillitatem refundat nesciẽtiam solutionum, præsertim quando sententiæ alioquin sunt sufficienti DD. auctoritate munitæ, & censentur probabiles.

Oppositum autem dicatur de sententijs nouis, seu de aliqua sententia, quæ communiter censetur improbabilis; mihi enim profectò huiusmodi sententiæ probabiles esse non poterunt, si nesciam respondere argumentis in contrarium; nec enim tunc possum fidere aliorum solutionibus, quando alios video nõ modo prędicta argumenta soluere, sed ijsdem planè vti pro sententiæ oppositæ, quàm tuentur defensione.

Dices. Probabile non dicitur simpliciter, sed ad alterum; ergo saltem mihi, qui nescio respondere, nõ erit prædicta opinio probabilis.

Resp. Negando consequentiã, quia adhuc argumenta, quibus vrgeor, non puto demonstratiua, & conuincentia absolutè, ex natura sua, sed ex mea tenuitate; vnde non tollunt probabilitatem sententiæ; puto enim illa posse solui, & cum fundamento puto. Accedit, quod multoties ego nescio argumentis respondere, & tamẽ

puto

puto, & euidenter ſcio illa non concludere, & eſſe fallacia, aliunde ſcilicet. Ita ergo pariter licet ego neſciā argumenta ſoluere, aliundè potero eſſe certus, quod illa argumenta ſunt tantùm probabilia, quia multi ſunt, quibus ea videntur ſoluta, & alij poſſunt eſſe, qui clarius illa ſoluant; igitur ex hoc præcisè, quod quis argumentis neſciat reſpondere, non per hoc iudicare debet opinionem aliquam improbabilem, alioquin ſatis fundatā. Pro hac concluſione, qui vult DD. legat Caſtr. Pal. *in ſuo opere morali parte* 1. *d.* 2. *pun.* 1. *nu.* 2.

SECTIO SECVNDA.

An opinio putata falſa poſſit in ſenſu compoſito iudicari probabilis.

HActenus de eſſentia opinionis probabilis ſecundum ſe, nunc quærendum eſt, cum quibus actibus probabilis remaneat, adeo vt ſuam probabilitatem non amittat. Et primo quærimus, an cum iudicio in aliquo intellectu, quod opinio ſit falſa, reſpectu eiuſdem intellectus retinere poſſit ſuam probabilitatem, reſpectu enim aliorum non eſt dubium. Fit autē comparatio inter probabile, & falſum, non inter verū, & falſum; hæc enim certum eſt, quod opponuntur; nequit enim idem iudicari verū, & falſum, verū, & non verum; alias iudicaretur idem eſſe, & non eſſe, quod implicat. Sit igitur.

Concluſio Prima.

IMpoſſibile eſt, quod propoſitio iudicata euidenter falſa, ſimul in ſenſu compoſito iudicetur probabilis. Hæc Concluſio videtur eſſe citra controuerſiam, & probatur euidenter.

Primo, quia propositio iudicata euidenter falsa cognoscitur euidenter nullum habere motiuum, seu fundamentum veritatis; ergo cognoscitur euidenter non esse probabilis; ergo nequit iudicari probabilis. Quod enim constat euidenter non esse tale, non potest iudicari tale. Antecedens probatur, quia vbi est euidentia falsitatis, motiua, & fundamenta veritatis cognoscuntur euidenter esse leuia, friuola, nullius roboris, & euidenter soluta; alias si alicuius roboris sunt, adhuc est dubium de veritate; vndè non constat de falsitate; sed propositio, quæ nulla habet fundamenta veritatis, nisi friuola, & euidenter soluta, cognoscitur euidenter non esse probabilis, destituitur enim causa, ex qua oritur probabilitas; ergo vbi est euidentia falsitatis, nequit propositio iudicari probabilis. Auctoritates autem DD. nullius sunt roboris, quia vbi constat euidenter de falsitate, constat etiam DD. oppositum asserentes fuisse deceptos. Deceptorum autem auctoritas nulla est; ad summum ergò iudicari poterit apparens, vt insinuaui in hac *disput. 2. sect. 1. initio*, vbi assignaui differentiam inter apparentiam, & probabilitatem.

Secundo, quia aliquam propositionem iudicari probabilem, est formalissime iudicari talem, vt intellectus habeat sufficiens fundamentum illi assentiendi; sed propositio iudicata falsa non potest habere tale fundamentum, falso enim, euidenter cognito vt falso intellectus vllo pacto nequit assentiri, cum sit extra adæquatum obiectum intellectus, quod est verum; ac proinde nullum sufficiens fundamentum, potest habere intellectus ad assentiendum falso, euidenter cognito vt fallo; ergo nequit iudicari probabilis. Et sanè, vel tale fundamentum tollit euidentiam falsitatis, vel non; si primum non sumus in casu; si secundum nullum motiuum, nec

I vlla

vlla vis dari poteſt, (ſecluſa fortaſsè Diuina Omnipotē-tia neceſſitāte, de qua re non eſt hic locus diſputandi) vi cuius poſſit intellectus falſo euidenter cognito aſſentiri; ergo &c.

Hinc etiam collige, quod quotieſcumq; aliqua contradictoria iudicatur euidenter vera, non poteſt oppoſita remanere,ſeu iudicari probabilis; ex hoc ipſo enim quod vna contradictoria ſit euidenter vera, oppoſita neceſſariò eſt euidenter falſa.

Concluſio ſecunda.

PRopoſitio iudicata probabiliter tantùm falſa,poteſt in ſenſu compoſito euidenter iudicari probabilis. Concluſio probatur manifeſtè, primo quia,Propoſitio iudicata probabiliter falſa iudicatur talis cum formidine iuſta ob rationes, quæ ſunt in oppoſitum pro veritate; ergo etiam in ſenſu compoſito cum hoc iudicio apparent intellectui rationes validæ, & alicuius roboris pro veritate; aliàs non eſſet, quod ſequeretur iuſta formido, quæ tamen ex aſſenſu, ſeu diſſenſu probabili nata eſt ſequi. Sed ex hoc, quod alicui apparent rationes pro aliqua parte, quæ validæ ſint, ſtatim illa pars, licet illi non euadat vera, euadit tamen euidenter probabilis; conſtat enim illi euidenter talem partem eſſe affectam cauſa formali probabilitatis, nempe rationibus validis, ac proinde conſtat euidenter habere effectum formalem ipſius; ergo etiam in ſenſu compoſito iudicabitur euidenter, vel poterit iudicari probabilis.

Secundo, quia omnis oppoſitio, & incompoſſibilitas inter actus ad eſſe ſimul oritur, vel ex obiectis, vel modo tendendi actuum; Ideo enim E.G. non poteſt intellectus ſimul affirmare, & negare, quia idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Sed iudicium, quod ali-

quæ propositio sit falsa, & iudicium, quod sit probabilis, nec opponuntur ex obiecto, nec ex modo tendendi; ergo poterunt esse simul in eodem intellectu. Minor probatur, & quidem quoad primam partem res est clara; nam probabile, & falsum nullo modo opponuntur, quin immò sunt de facto simul; quot enim falsa sunt probabilia? immò quot falsa sunt probabiliora veris? igitur ex hoc capite dicere aliquid esse falsum, & dicere esse probabile, non repugnat. Secunda item pars probatur, quia iudiciũ, quo iudicatur tantùm probabiliter aliquid esse falsũ, nõ destruit fundamenta veritatis, quibus licet non moueatur intellectus illa tamen supponit alicuius roboris esse, vnde de illis formidat; ergo nec ex modo tendendi destruit probabilitatem, cum supponat causam formalem ipsius.

Tertio. Quia iudiciũ, quo propositio iudicatur probabiliter falsa, & iudicium, quo eadem iudicatur probabilis, non sunt respectu eiusdem obiecti, sed respectu diuersorum, & quidem disparatorum; ergo nullam habent oppositionem: vndè poterunt simul esse in eodẽ intellectu. Antecedens probatur. Iudicium quo aliqua propositio iudicatur falsa, habet pro obiecto disconuenientiam ipsius cum suo obiecto; iudicium autem, quo eadem iudicatur probabilis, non habet pro obiecto conuenientiam, nec illam enunciat, sed solum apparentiã conuenientiæ, seu fundamenta, & motiua conuenientiæ, quæ profectò sunt obiecta diuersa, & disparata.

Quarto. Quia multæ propositiones, quę nunc comperiuntur euidenter falsæ, dicuntur præteritis temporibus fuisse probabiles, hoc est licèt non possint dici fuisse veræ; quod enim semel est verùm, semper est verùm; dicuntur tamen habuisse sufficiens fundamentũ veritatis; quia licet etiam tunc re vera essent falsæ, & dice-

dicerentur ab aliquibus falsæ, adhuc tamen earum falsitas erat in obscuro, nō erat clara; ergo iam potest componi falsitas in obscuro, & probabilitas; ergo possunt simul componi duo Iudicia, quorum alterum dicat obscurè propositionem esse falsam, aliud verò probabilē. Vno verbo. Ego possum nunc dicere, & verè; in aliquo signo temporis præteriti aliquam propositionem fuisse falsam, & probabilem, ergo etiam nunc aliqua propositio potest à me iudicari falsa, & probabilis. Et sanè solum falsitati clarè visæ repugnat fundamentum validum veritatis, quod est probabilitas, non verò falsitati obscurè tantùm iudicatæ. Falsitas enim in obscuro non modo opponitur cum veritate in obscuro, sed illam conclamat. Ideo &c.

Hinc inferas, quod quando vna contradictoria probabiliter tantum iudicatur vera, non potest quidem opposita iudicari vera, nequeunt enim duæ contradictoriæ verificari; potest tamen iudicari etiam euidenter probabilis. Quod quidem videtur præter dicta, desumi ex modo loquendi omnium DD. qui passim assentientes vni parti contradictionis solent oppositam vocare probabilem.

Dices primo. Est maxima differentia inter assentiri vni parti contradictionis, & inter oppositam iudicare falsam; ergo licet cum assentiri vni parti contradictionis stet oppositam iudicare probabilem, non tamen stabit cum hoc, quod est iudicare illam falsam.

Resp. In primis idem esse omninò assentiri vni parti contradictionis, & eandem iudicare veram. Iudicamus enim formalissimè propositionem aliquam verā, cum illi assentimur. Iudicare enim propositionem aliquam obiectiuam veram est formalissimè dicere rem ita esse, quod profectò est assentiri. Item assentiri vni

parti

parti contradictionis, saltem virtualiter, est oppositam iudicare falsam; iudicatur enim virtualiter falsa vna propositio, cum contradictoria iudicatur vera, & cum contradictoriæ assentimur. Si enim dico verum esse, quod Petrus amet, quod est assentiri huic affirmatiuæ, vtique virtualiter dico falsũ esse, ꝙ nõ amet; infertur enim necessariò ex illa, ex vna enim contradictoria vera, necessariò infertur opposita falsa; & adeò quidẽ sunt cõnexa inter se hæc duo, vt si mihi euidenter cõstet de veritate vnius cõtradictorię, per hoc pręcisè mihi euidenter cõstat de falsitate oppositæ. Perinde igitur se habet assentiri vni parti contradictionis, seu vnam partem contradictionis iudicare veram, ac iudicare oppositam falsam. Si igitur cum hoc, quod est assentiri vni parti contradictionis, seù eandem iudicare veram, stat oppositam iudicare probabilem; ergo etiam cum hoc, quod est oppositam iudicare falsam, stabit eamdem iudicare probabilem. Vnde ad argumentum dico non esse differentiam, quæ officiat, est enim solum differentia impliciti, & expliciti, quæ non officit.

Dices secundo. Iudicare propositionem aliquam esse probabilem est formalissimè iudicare, quod possit esse vera; sed propositio, quam ego iudico falsam nullo pacto possum iudicare, quod possit esse vera; nequit enim falsum vllo pacto esse verum, & ego non possum iudicare id, quod esse non potest; ergo propositio iudicata falsa non potest ab eodem iudicari probabilis.

Resp. In argumento esse manifestam æquiuocationem; aliud enim est aliquid esse verum, & aliquid iudicari verum; Item aliud est, quod est verum in re, non posse esse falsum; aliud vero, & toto Cęlo diuersum, id quod iudicatur verum non posse esse falsum. Primum enim verum est, secundum, omninò falsum; quot

enim

enim propositiones de facto iudicantur veræ, quæ non modo possunt esse, sed sunt falsæ? licet ergo ego non possim iudicare, quod falsum possit esse verum; possum tamen iudicare, quod id, quod ego iudico falsum, possit esse verum; in quantum cum non sim certus de falsitate, timeo decipi; vndè non iudico, quod falsum reduplicatiuè possit esse verum, hoc enim est impossibile; sed specificatiuè, id quod ego nunc iudico falsum; & sanè sic habet communis vsus loquendi, quo homines aiunt passim; arbitror, quod res ita se habeat, posset tamen se habere opposito modo; quibus verbis innuimus probabile esse oppositū, & oppositū habere fundamentū veritatis, licet nos dicto fundamēto non moueamur.

Resp. Secundo subtilius negando maiorem; quia iudicia, quibus enunciamus aliquid esse probabile, vt plurimum euidentia sunt, & scientifica, ac proinde verissima, etiamsi alioquin id, quod dicitur probabile sit falsum. Si autem esse probabile esset formaliter posse esse verum, huiusmodi iudicia falsa essent, illud enim quod in re est falsū, nullo pacto nec est, nec esse potest verū. Igitur aliud est esse probabile, aliud esse posse verū; dicit ergo probabile, non possibilitatē veritatis, sed sufficiens fundamētum veritatis hac ratione, seu motiuo alicuius roboris pro veritate, quæ vtiq; stant cum falsitate.

Addo quod solent docti omnes dicere, probabile esse, quod aliquis contractus ex sua natura sit iustus; per quæ verba profectò non asserunt esse iustum, multoties enim etiam in sensu composito cum illis docent esse iniustum. Si autem idem esset probabile ac posse esse, duo sequerentur; primo, quod impropria nimis, & indocta esset prædicta locutio; secundo, quod per illa verba assererent esse de facto iniustum. Patet vtrumque, quia quando loquimur de essentialibus, & de ijs,

quæ res habent à natura, malè dicimus quod poteſt habere, ſed debemus dicere, quod habet; omne enim, quod eſsentiæ rerum ſibi eſsentiale poſsunt habere, de facto habent, idem enim quoad eſsentialia eſt eſse, & poſse eſse. Vndè non niſi indoctè dici poteſt aliquam rē poſse habere aliquod prædicatum ſibi eſsentiale. Item, quia in eſsentialibus idem eſt habere, ac poſse habere, qui dicit vnum, dicit aliud; vndè qui dicit aliquem contractum de ſua natura poſse eſse iuſtum, dicit profectò, velit, nolit, eſse iuſtum, omne enim, quod eſsentia poteſt habere, de ſe habet. Igitur nullo pacto eſt dicendum idem eſse probabile, & poſse eſse.

Dices tertio. Omne quod eſt probabile dicitur poſſe gignere aſsenſum; ſed propoſitio iudicata falſa in ſenſu compoſito non poteſt eſse talis, vt queat gignere aſſenſum, nec enim poteſt intellectus aſsentiri propoſitioni, quam iudicat falſam, aliàs aſsentiret, & diſsentiret; ergo nequit eſse probabilis; vnde nequit verè iudicari probabilis.

Reſp. Probabile debere eſse tale, vt poſsit gignere aſsenſum ſimpliciter, quantum eſt de ſe, non verò in quacumq; facta ſuppoſitione; nimirum debet probabile eſse tale, vt vi illius poſsit intellectus prudenter aſsētiri; ſi autem impediatur ab aliquo actu extraneo incompoſsibili, hoc erit per accidens, & non ex defectu ſufficientis virtutis in motiuo probabili, ex incompoſſibilitate .ſ. actus præcedentis; vndè adhuc re uera erit probabile, & poterit iudicari tale, quia ſcilicet actus præcedens non tollit ipſius vim, & potentiam, ſed ſolum impedit actum. Sic ergo in caſu noſtro, licet nequeat intellectus in ſenſu compoſito aſsentiri propoſitioni iudicatæ falſæ, adhuc tamen poteſt iudicare illam probabilem; quia ſcilicet illius motiua pro veritate remanent

nent

nent in suo robore, & actus non implicat sequi ex defectu probabilitatis, sed ex incompossibilitate cum actu præcedenti. Secus contingeret, si euidenter appareret falsa, quia euidentia falsitatis destruit vim, & potentiam agendi in probabili, quia eneruat, & ostendit nullas ipsius rationes, & motiua; ideo &c.

SECTIO TERTIA.

An concurrentibus opinionibus æquè probabilibus, vel probabili cum probabiliori, vtraq; remaneat simpliciter probabilis.

CAndidus Philalethus in hoc opusc. iam citatus, & sępè citandus *d. illa vnica de opinionũ praxi q.* 6. propositionem probabilem distinguit, in probabilem simpliciter, & probabilem secundum quid. Probabilẽ simpliciter dicit, quæ expensis omnibus medijs, & rationibus hinc, & inde ad eius veritatem conducentibus, vndequaq; probabilis remanet. Probabilem verò secũdum quid illam dicit, quæ licet cum aliquibus medijs, & rationibus appareat vera, non tamen ex omnibus; secundum enim aliqua apparet falsa; quia tamen nulla propositio, quantumuis probabilis potest apparere vera per omnia media, aliquas enim rationes debet habere in oppositum, per quas profectò non vera, sed falsa appareat necesse est, ac proinde hæc distinctio videretur nulla, quia omnis propositio hoc pacto probabilis tantum esse potest secundum quid. Ideo sic rẽ explicat.

Illa propositio dicitur probabilis, & apparere vera per omnia media, quæ non solum rationibus, quibus munitur, apparet vera; sed etiam rationibus pro parte opposita; non quod rationes pro parte opposita veritatem positiuè ostendant, hoc enim est impossibile;

sed negatiuè, quatenus scilicet eius veritatem ità impugnant, vt tamen vincantur, & comparatæ cum rationibus veritatem ostendentibus inueniantur infirmiores; & sicut victoria vnius non tantùm desumitur ex viribus proprijs, sed etiam ex infirmitate virium alterius; sic etiam veritas vnius propositionis non solum desumitur ex rationibus proprijs, sed etiam ex oppositis, in quantum cadentibus, & superatis à proprijs. Illa autem propositio erit probabilis tantum secundum quid, quæ licet ex suis rationibus appareat vera ex oppositis tamen, vel quia æqualibus, vel quia maioris roboris tàm positiuè, quàm negatiuè apparet falsa. Ex quo docet prædictus Auctor propositiones oppositas æquè probabiles non esse probabiles simpliciter, sed tantum secundum quid, & à fortiori probabilem concurrentem cum contradictoria probabiliori.

Hęc distinctio mihi multipliciter non probatur; primo, quia merè gratis introducitur sine vllo fundamẽto non modo auctoritatis, sed neq; rationis; secundo, quia in re est eadem distinctio qua communiter DD. distinguunt probabile, in probabile, & probabilius. Quod enim appellat Candidus probabile simpliciter, eò quia vincat, & habeat fortiora motiua, quàm oppositum dicitur communiter probabilius. Quod verò appellat probabile secundum quid, quia licet habeat validum motiuum; infirmius tamen illud est motiuo partis oppositæ, hoc communiter dicitur probabile simpliciter; vndè erit quęstio pura de nomine, in qua quia semper vincit modus loquendi communior DD. profectò antiquæ, & communissimę DD. omnium loquẽdi formulæ standum est. Tertio, quia Candidus merè gratis, & sine vllo fundamento nouam definitionem probabilis simpliciter affert contra communem, & iam

per

per tot sæcula consensu DD. omnium approbatam. Inducere autem nouas definitiones merè gratis, an sit approbandum, viderit ipse, & alij iudicent.

Hactenus enim probabile simpliciter à DD. omnibus nemine discrepante definitum fuit, quod apparet verum sapientibus cum formidine partis oppositæ; quę est definitio Aristotelis 1. *Top.c.*1. Vndè ille actus dicitur opinio, quo nomine venit assensus simpliciter probabilis, quo intellectus assentitur vni parti contradictionis cum formidine oppositæ: vndè opposita pars, & rationes partis oppositæ non conclamantur ab opinione, seu ab assensu probabili simpliciter, in quantum vincuntur, & debellantur; sed potius in quantum falsitatē ostendendo terrent intellectum, & faciunt vt formidet; tantum abest quod ostendant veritatē. Et hinc aiebat D. Th. multis in locis, quod *opinio secundum Philosophum quoddam debile, & infirmum est.* Definire autem opinionem obiectiuam, seu probabile simpliciter, quod ex omnibus medijs tàm prò, quàm contra apparet verum, seu quod vincit rationes partis oppositæ, profectò est nouam definitionē afferre probabilis simpliciter.

Pręterea hactenus nomine refragāte probabile, vt sic diuisum fuit in probabile, & probabilius; & etiam (cōtra quod verū) dicitur probabile suscipere magis, & minus. Igitur probabilius est mēbrū ꝓbabilis vt sic. Modo dicas Cādide. Probabile vt sic quid importat; ꝓbabile ne simpliciter, vel secūdū quid? Si primū, habeo intentū; si quidē etiā sine maiori probabilitate, sine victoria stabit probabile simpliciter; vnde propositio licet non probabilior erit probabilis simpliciter, & etiam propositio minus probabilis, quia probabile vt sic tamquam genus inuoluit, probabilis simpliciter profectò erit. Si verò se-

cundum, hoc falsum apertè est; nequit enim probabile simpliciter, quale dicitur esse probabilius, habere pro genere probabile secundum quid; simpliciter enim, & secundum quid sunt differentiæ oppositæ, & vna non est genus ad aliam. Quid ergo dices? fortè respondebis probabile vt sic præscindere tàm à probabili simpliciter, quàm secundum quid? sed hinc grauiores angustiæ. Nàm quæso quid erit probabile vt sic? quē conceptū obiectiuum habebit? Omnis conceptus obiectiuus in aliquo genere est simpliciter talis; probabile vt sic, quà probabile in quo genere simpliciter erit? non verum, non falsum, non dubium; neutrum enim horum potest esse genus ad probabile simpliciter; ergo &c.

Dicamus igitur, & facilè probabile vt sic esse probabile simpliciter, minus autem probabile, & probabilius vtrumq; esse probabile simpliciter, & differre tantum secundum magis, & minus, quod proinde non variat genus simpliciter, iuxta commune axioma, quod magis, & minus sub eodem genere non variat genus. Eo prorsus modo, quo se habet calidum simpliciter ad magis, & minus calidum. Sit ergo.

Conclusio Prima.

Concurrentibus propositionibus contradictorijs æquè probabilibus vtraq; earum remanet simpliciter probabilis.

Probatur Conclusio. Primo, quia ille actus est opinio, seu assensus simpliciter probabilis, qui aliquid enūciat ex valido motiuo cum formidine partis oppositæ; cum formidine inquam non leuiter, vel temere orta, sed cum fundamento iusto, hoc est ex rationibus in oppositum reuerà validis. Igitur illud erit opinio obie-

obiectiua, seu obiectum simpliciter opinabile, & probabile, quod graui munitum erit fundamento, licet in oppositum sit ratio grauis, quæ proinde quia non vincitur, & valida cognoscitur, formidinem ingerit. Valet enim illatio ab actu ad obiectum, sicut ab effectu ad causam; nec enim actus potest esse simpliciter probabilis, nisi obiectum probabile simpliciter sit. Sed propositiones contradictoriæ æquè probabiles, sunt graui munitæ fundamento, licet vtraque inuoluat formidinē partis oppositæ, eo quod vtraque sit æquè valida; ergo sunt simpliciter probabiles.

Confirmatur. Nisi concurrerent, vtraq; separata esset probabilis simpliciter; ergo etiam si concurrant; quid enim amittunt, vel quid acquirunt, vt deperdatur probabilitas simpliciter? Nihil profectò, nisi formido mutua; hæc autem non modo destruit probabilem assensum simpliciter, seu opinionem, quià ab opinione inuoluitur. Sit exemplum. Sint duo, quorum quilibet fortis sit simpliciter, concurrant, & neuter vincatur; proinde ne non erunt amplius fortes simpliciter? quis hoc dicat? idem currit in casu nostro.

Secundo, quia omnis propositio esse debet in aliquo genere simpliciter, omne enim quod est, in aliquo genere simpliciter est; igitur si probabilis concurrens cū æquè probabili, est tantum secundum quid in genere probabilis, in quo nam genere erit simpliciter? omne enim, quod in aliquo genere est secundum quid, in aliquo debet esse simpliciter, vt valet discurrendo per singula. Si nihil inuenias, profectò simpliciter probabilis dicenda est.

Respondebis, quod est simpliciter dubia, nec enim aliud dici potest.

Contra tamen est, quia nulla propositio obiectiua in se

in se est formaliter dubia, in se enim est determinata ad vnum; sed dicitur dubia in quantum dubium reddit intellectum. Cęterum intellectum reddi dubium stat dupliciter, vel ex defectu rationum sufficientium; vel ex concursu rationum quidem simpliciter sufficiētium, sed inter se pugnantium. Primo modo propositio, de qua in præsenti non est dubia, vtraq; enim habet rationes sufficientes, & validas, adeo vt extra concursum vi eiusdem rationis, & motiui dubia non esset, sed simpliciter probabilis. Secundo verò modo non aliter intellectus redditur dubius, nisi quatenus vtraq; pars vicissim ingerit formidinem de opposita, cum qua profectò stat opinio, quæ simpliciter probabilis propositio est. Vnde aiebat Caiet. *opusc. d. præcedenti citato*, quod *varietas opinionum habet reddere intellectum nutantem*. Vndè tale dubium tantum abest, quod tollat opinionem, & probabile simpliciter, quin potius illa inuoluit.

Tertio. Ad hominem contra Candidum sic. Illa propositio est simpliciter probabilis, quæ non tantum ex aliquibus, sed per omnia media, tàm pro, quàm cōtra adducta apparet probabiliter vera; dico probabiliter, nō euidenter, aliàs non esset propositio probabilis, sed euidens. Quid est autem apparere verum probabiliter? Ita vt etiam appareat falsitas, & sit formido de veritate. Sed concurrentibus opinionibus contradictorijs æquè probabilibus vtraq; per omnia media, tàm prò, quàm contra apparet probabiliter vera; ergo vtraq; remanet simpliciter probabilis. Minor probatur, quia per media prò adducta vtiq; apparet probabiliter vera, suppono enim esse pro illa rationes validas. Itē per media cōtra adducta; nam per illa apparet falsitas, & quidem probabiliter, prout necesse est, ex quibus proinde oritur formido

mido de veritate. Item hęc eadem media prò falsitate adducta per hoc, quod non vincunt partem oppositam declarant pro illa esse validum fundamentum veritatis, aliàs illam debellarent, vndè probabilitatem veritatis illius ostendunt; ergo etiam concurrentibus opinionibus æquè probabilibus vtraq; apparet ex omnibus medijs, & omnibus expēsis, itàm fauentibus, quàm oppositis probabiliter vera, ergo &c.

Quod autem ad hoc, vt aliqua propositio probabilis simpliciter sit, requiratur, vt falsitas illius probabiliter appareat, quod fuit assumptum in minori probata, patet, quia si falsitas neq; probabiliter apparet; vel leuiter, vel nullo modo apparet, vnde vel nulla, vel non iusta consurgit formido; quando autem hoc contingit, propositio non probabilis, sed simpliciter euidens est.

Conclusio secunda.

PRobabilis propositio etiam concurrens cum probabiliori remanet simpliciter probabilis.

Probatur primo hæc conclusio ijsdem rationibus, quibus probata est præcedens proportionaliter applicatis; adhuc enim probabilis habet firmum fundamentū, & validum, de cuius veritate opposita licet probabilior ambigit, & iustè formidat; probabilior enim quantumuis propositio semper formidat de opposita, & iustè formidat vi rationum illius, quas adeo non debellat, vt negligantur, vndè adhuc remanent fortes; alias si illas debellaret, & eas negligeret, non esset, quod de opposita formidaret iusta formidine, vnde euidens euaderet. Igitur licet concurrat cum probabiliori, adhuc remanet simpliciter probabilis.

Secundo, quia si probabilis, quæ modo concurrit cū probabiliori, cum illa non concurreret, talis de se esset, vt

vt esset simpliciter probabilis, habet enim firmum fundamentum, & solum ex concursu amittit probabilitatem simpliciter; ergo etiamsi concurrat remanebit simpliciter probabilis. Probo cõsequentiam; remanet idem fundamentum, & probabilior nihil affert, quod prędictum fundamentum eneruet; illud quidem soluit, sed tantum probabiliter, vnde relinquit illud probabile; si enim nõ relinqueret illud probabile, solueret illud euidenter, vndè nullo pacto probabilis, sed clarè falsa remaneret prædicta propositio. Item propositio quantumuis minus probabilis soluit etiam probabiliter rationes propositionis probabilioris; alias si probabiliter non solueret illa, falsa clarè appareret; magis autem, vel minus, vndè semper in eodem genere; ergo cum de se sit probabilis simpliciter, & probabilior illi non auferat probabilitatem, profectò remanebit simpliciter probabilis.

Confirmatur exemplo. Detur aliquis de se simpliciter fortis, concurrat cum fortiori, ita tamen, vt non debelletur omnino, sed hinc, & inde sint vulnera, grauiora tamen ex parte fortis, & fortis nunquam possit debellari omnino; & fortior, licet fortior illum timeat, diceturne ille amisisse robur simpliciter fortis, nequaquam. Sic in casu nostro; ideo &c.

Tertio, quia probabilis, licet concurrens cum probabiliori, ex omni capite, & omnibus expensis apparet probabiliter vera; ergo vel ex principijs Candidi erit simpliciter probabilis. Antecedens probatur. Ex rationibus pro se adductis, patet, & in quantum ostendunt veritatem ipsius, & in quantum ingerunt formidinem parti oppositæ, licet probabiliori. Item ex rationibus adductis pro parte contraria probabiliori hoc idem constat; nam hæ illam non debellant, sed licet torqueant,

adhuc illius robur sentiunt,& formidant; vnde in quātum non vincunt,sunt fundamentum,vt appareat probabiliter vera; rationes enim probabiles, & multò magis probabiliores vincunt, & debellant omnino, quod non apparet ad minus probabiliter verum;ergo ex omnibus capitibus elucet probabiliter veritas propositionis probabilis etiam in concursu cum probabiliori. Erit igitur simpliciter probabilis.

Dices primo. Probabilior debellat, & vincit rationes minus probabilis, illas enim soluit.

Resp. Quod non soluit nisi probabiliter, quo pacto etiam rationes ipsius soluuutur à minus probabili;vndè neutra debellat omnino partem oppositam, cuius rei clarum signum est, quia vtraq; formidat de parte opposita. Magis quidem ac minus; hoc vltro fateor; at extrahit ne à genere probabilis simpliciter? hoc est quod quærimus. Dictum est probabilitatem simpliciter illam esse, quæ oritur ex omnibus capitibus, tàm prò, quàm contra adductis? ostendi etiam minus probabilē desumere suam probabilitatem ex omnibus medijs, tàm prò, quàm contra; quia etiam rationes probabilioris, simpliciter soluuntur, & probabilior simpliciter formidat de veritate minus probabilis. Quid amplius requiritur? fortenè quod magis vincat, quàm vincatur? quod minus formidet, quàm formidetur? quod habeat fortius motiuum? hæc est manifesta petitio principij; nam est requirere, quod aliqua propositio sit probabilior, adhoc vt sit simpliciter probabilis, quod est in controuersia.

Dices secundo. Nō potest vtraq;cōtradictoria simul, & omnibus expēsis apparere vera;nam vel omnibus expensis vna pars vincit, vel in dubio stat victoria. Si primum sola;quæ vincit,apparet vera; Si secundum neu-

tra apparet vera, ſed vtraq; remanet dubia, ergo &c.

Reſp. Quod Candidus, qui in tota ſua diſputatione paſſim fatetur poſſe vtramq; contradictoriam eſſe probabilem, & probabilem iudicari (idem autem eſt probabile, ac apparere verum) modo id negat; paſſim enim, & ingenioſè arguit errorem illorum, qui confundunt pro eodem aſſentiri probabiliter vtriq; propoſitioni cōtradictoriæ, & aſſentiri vtramq; eſſe probabilem; Primum enim negat, ſecundum concedit. Sed quidquid ſit de cohęrentia, ad argumentum nego antecedens, nàm licet non poſſit vtraq; contradictoria eſſe, vel iudicari ſimul vera, poteſt tamen omnibus expenſis vtraque repræſentari intellectui vera, non euidenter, ſed probabiter; ſiuè enim vtraq; pars ſit æqualis in probabilitate, ſiuè vna ſit probabilior, ſemper in omni caſu vtraq; apparet probabiliter vera. Fateor quidem quod omnibus expenſis non poteſt vtraq; contradictoria apparere euidenter ſimul vera; ſi enim vna appareat euidenter vera, ſignum eſt, quod pro alia non ſunt vllæ rationes veritatis; vndè implicat in adiecto, quod illa alia appareat euidenter vera; tamen probabiliter poteſt vtraque apparere vera ex omnibus capitibus, quia motiuum probabile veritatis non ſolum partem prò qua militat facit apparere veram, ſed etiam partem oppoſitam; ſuā quidem poſitiuè, oppoſitam verò negatiuè. In quantum quia illam non omninò vincit, ſed formidat de illa, eſt ſignum, quod oppoſita habeat robur veritatis; ergo &c.

Dices tertio. Probabile ſimpliciter poteſt generare aſſenſum; ſed minus probabilis in concurſu cum probabiliori non poteſt generare aſſenſum; intellectus enim in aſſentiendo debet ſequi motiua, vndè tantum poteſt inclinare, vbi ſunt motiua fortiora, ergo &c. Item cum propo-

propositiones sunt æquè probabiles, intellectus remanet in dubio, quia quantum mouet motiuum pro vna parte, tantum retrahit aliud; ergo nequit assentiri; ergo neque æquè probabiles concurrentes remanent simpliciter probabiles.

Hic est Achilles Candidi Philalethi, non solum pro præsenti controuersia, sed pro tota materia, quam tractat *in sua disputatione de opinionum praxi*; vt ergo videamus, quanti sit roboris, sit.

SECTIO QVARTA.

An, & quomodo liberum sit opinari.

ANtequam autem quæsitum in tit. sect. propositum, discutiamus, pro intelligentia maioris in vltimo argumento adductę. Notandum est, adhoc vt aliquid sit simpliciter probabile alicui, non requiri, quod actu illi assentiatur. Tùm quia essentiæ rerum non desumuntur penes actum, sed penes potentiam ad actum, vnde essentia probabilis simpliciter non desumitur penes hoc, quod actu generet assensum, sed penes posse generare. Tùm quia esse aliquid intellectui tale, nihil est aliud, quàm ab intellectu iudicari tale, quid enim est aliquid intellectui esse verum, nisi iudicari verum? igitur aliquid esse intellectui simpliciter probabile, est iudicari tale, quod quidem stat absq; eo quod est assentiri ipsi; vt patet. Tùm etiam quia proposita mihi sententia validissimis munita ratonibus, vel sine rationibus pro parte opposita, vel parùm efficacibus, etiamsi suspendam assensum, cognosco euidenter illam esse probabilem; & assensus sanè est quid à posteriori, & effectus probabilis simpliciter; nulla autem causa constituitur per suum effectum; & per assensum opinio mihi non euadit probabilis, sed vera.

Notandũ secundo verè ad probabile simpliciter requiri, quod possit generare assensum; nam si non potest generare assensum, ergo non habet sufficiens fundamentum veritatis, & nimium clarè elucet falsitas, igitur non remanet simpliciter probabile. Non autem debet probabile posse generare assensum facta quacunque suppositione, vt tetigi *in hac disput. secunda sect. 2. in fine*; sed solum esse tale, vt nihil facta diligentia sufficienti antecedens ad assensum, vel dissensum possit illius efficaciam impedire, adeo vt cum quocumque sic antecedenti possit assensum generare. Vndè quare apparens non est probabile? quia scilicet cum motiuis antecedentibus pro falsitate non stat eius efficacia; vnde quando id, quod dicitur probabile impeditur ad agendum à motiuo pro parte opposita, non remanet simpliciter probabile.

Notandũ tertio ad probabile simpliciter non requiri, quod possit gignere assensum in sensu composito cum omnibus motiuis excogitabilibus pro parte opposita; alias nulla propositio falsa poset esse simpliciter probabilis; excogitabilia enim, & dabilia absolutè sunt motiua pro illius falsitate, cum quibus non poterit gignere assensum. Sufficit ergo ad probabile simpliciter, quod possit gignere assensum cum omnibus motiuis hic, & nunc facta prius sufficienti discussione inuentis, & occurrentibus.

Igitur nunc videndum, an minus probabilis concurrens cum probabiliori, & probabilis cum æquè probabili possit gignere assensum, adeò vt non impediatur à motiuis pro parte opposita; & quia difficultas tantum oritur ex natura Intellectus, qui cum in opinando dependeat à motiuis, videtur tantum posse rapi à motiuo fortiori: Ideo in præsenti quæstione examinamus, an intel-

intellectus sit ita subiectus motiuis, vt ipse nulla perfruatur libertate; an verò aliqua, & possit pro libito, quamlibet partim sequi, dummodo sit motiuo valido non eneruato munita, quæ proinde habeat speciem veritatis.

Et sanè apud omnes recentiores hactenus habitum fuit pro indubitato intellectum quo ad assensus probabiles esse liberum, tàm quo ad specificationem, hoc est tàm huic, quàm illi parti assentiri, ac quoad exercitium, hoc est assentiri, vel suspendere assensum. Disputant autem tantum de libertate intellectus quoad assensus euidentes, qui videntur rapere intellectum, & cogere, ne expectet imperium voluntatis, cui alioquin subditus est.

Solus Candidus Philalethus hanc libertatem intellectus, quò ad assensus probabiles in dubium reuocat, & *quæst. secunda* concessa libertate quoad exercitium, libertatem specificationis prorsus adimit. Intellectum ponit, quasi saxum, quod non moueatur, nisi vi impellentis, quà maior sit vis impellentis, illuc necessariò moueatur, si moueri vult, adeò vt in partem oppositam deflectere nequeat; sin autem vtrimq; vis sit æqualis, necessariò standum ei sit, & neutrum mouens sequi possit. Quæ sententia singularis est tàm antiquorum, quàm recentiorum (saltem classicis, & in terminis) auctoritatibus destituta, & fortasè parùm firmas rationes habet, vt fusè *sect. sequenti.* Prò communissima & vera sententia sit.

Conclusio vnica.

AD quoscumq; assensus ineuidentes, & obscuros, siuè fidei humanæ, siuè diuinæ, siuè opinionis; quo ad exercitium intellectus est plenè liber, & à sola volun-

voluntate dependet; quoad ſpecificationem autem licet à ſola voluntate non dependeat, ſed etiam ab obiecto, liber tamen eſt, & pro libito voluntatis poteſt, quam voluerit partem opinari, vel credere.

Loquor indifferenter, & eodem modo de opinione, & fide, ſiue humana, ſiue diuina, quia licet alioquin iſti actus eſſentialiter differant, quoad punctum libertatis omnino conueniunt, & de his quoad hoc eodem modo philoſophatur. S. Thomas 2.2.*q.p.a.*4. & communiter ibidem omnes expoſitores, quod etiam ſupponit Candidus *d. prædicta q.* 2.

Dixi autem in concluſione, quod licet intellectus ſit liber, & à voluntate dependeat in aſſenſibus obſcuris, tàm quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem; adhuc tamen eſt plenior libertas, & maior dependentia quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem; quia ſcilicet quoad exercitium ſolum à voluntate dependet intellectus; obiectum enim, & rationes in obiecto elucentes nihil dicunt de aſſentiendo nunc; vndè quod hic, & nunc aſſentiatur in ſolam voluntatem refundendum eſt, cum intellectus ſe non valeat determinare, nec ſit potentia formaliter libera. Vnde ſi de duobus, quibus eadem veritas pari modo proponitur, vnus aſſentiatur; alter non, ſed ſuſpendat aſſenſum, quæ ratio huius exercitij poterit aſſignari? profecto hæc vnica, quia vult. Talis caſus erit, ſi Concionator E.G. hortetur auditores ſuos ad eliciendum actum fidei diuinæ, aliqui elicient, alij ſuſpendent aſſenſum; quare? hęc vnica, quia hi volunt, ſecus alij. Secus autem quoad ſpeciem actus, adhoc enim, quod pòtius eliciatur actus huius ſpeciei, quàm illius, ſola voluntas non ſufficit; ſed vlterius requiritur obiectum ſub ratione veri, aliàs intellectus poſſet ferri extrà ſuum obiectum adęquatum.

Et

Et hoc est, quod voluit Caiet. *p.* 2. *q.* 65. *a.* 4. dum docuisse videtur, quod sinè vlla ratione potest intellectus alicui propositioni assentiri, vndè communiter impugnatur; nàm ni fallor, hoc absolutè etiam quoad specificationem non potuit voluisse doctissimus vir, cum alibi rationem aliquam requirat ad quoscumq; assensus, vt infra; sed solum quoad exercitium. Supposita enim ratione veritatis in obiecto motiuum ad hic, & nunc assentiendum est sola voluntas; quod quidem ait satis clarè loco citato his verbis; *vnde obiecto sufficiente ad determinandum intellectum ad alteram partem oportet voluntate supplere quoad exercitium.*

Quia autem licet quoad specificationem requiratur motiuum, illud tamen quoad actus ineuidentes obscurum est, & non plenè determinans intellectum, qui solum determinatur à vero euidenter proposito, ideo requiritur determinatio voluntatis, vt intellectus de se indifferens ad contraria, voluntate imperante huic parti potius assentiatur, quàm illi. Quod quidem, quia in hoc consistit libertas specificationis, & nostra cõclusio.

Probatur primo ex Aristotele 9. *met.* *t.* 10. vbi postquam distinxit potentias in rationales, & in irrationales, & cum has dixisset determinatas ad vnum, & vnius tantum obiecti factiuas, illas autem indifferentes ad cõtraria; de rationalibus quærit his verbis. *Approximatis obiectis simul ne facient contraria? hoc verò impossibile est; necesse est igitur aliud quiddam esse, quod dominetur: dico autem siue appetitum, siue electionem.* Particula *siue*, sicut, & alibi solet, hic sumitur pro &; Igitur intellectus qui potẽtia rationalis est, inter obiecta contraria constitutus indifferenter ad illa se habet, & indiget voluntate determinante etiam quoad contrarietatem, & specificationem: scilicet liber est, & indiget

imperio voluntatis, adhoc vt vni parti potius, quàm alij aſſentiatur, his potius quàm illis rationibus acquieſcat; ergo quoad aſſenſus ineuidentes, quoad obiecta obſcura, quando nempè proponuntur contraria aſſenſus, & diſſenſus; verum & falſum, quod vnum obiectum præ alio eligat intellectus, quod aſſentiatur, vel diſſentiatur, ſiue opinando, ſiue credendo dependet ab arbitrio voluntatis.

Quid dicet Candidus, qui totum ſe in hoc puncto Ariſtotelicum iactat? Dicetne fortaſſe, Philoſophum dùm dicit contraria, intelligere contradictoria, & dum potentijs rationalibus libertatem contrarietatis concedit, ſolùm velle concedere libertatem contradictionis? profectò, præterquam quod hoc erit appellare album nigrum, & nigrum album; vlterius clarè conuincetur; quia dicit potentias rationales eſſe factiuas contrariorũ; cõtradictoria effici nequeunt; nec enim negatio, quæ vnum contradictorium eſt, effici poteſt; præterea loquitur de potentijs rationalibus conſtitutis inter plura factibilia, quod certè non eſt loqui de potentia conſtituta inter facere, & non facere. Legatur textus.

Dicet fortè, cum Coninch. *de fide d. 13. dub. 4.* auctoritatem hanc Ariſtotelis eſſe impertinentem ad ſimiles quæſtiones, quia vt docuerat *d. 2. dub. 4. num. 50.* Ariſtoteles ibi ſolum vult, quod potentiæ rationales ſint circa oppoſita, & contraria, hoc eſt plura contraria poſſint facere; ad quæ tamen, an ſint determinatę, necne, ſeu à quo determinentur; non quęrit Ariſtoteles.

Sed Coninch. textum non legit, reſponſionem enim hanc non dediſſet. Vidiſſet enim clarè, quod Ariſtoteles quærit, à quo determinentur hæ potentiæ, quæ poſſunt facere contraria, & dicit eſſe voluntatem; igitur ſupponit illas indifferentes, & de ſe tàm factiuas vnius, quàm alterius. Confir-

Confirmatur hæc ratio ex vnanimi consensu omnium expositorum Alexandri, Niphi, & aliorũ, D. Th. Fonsecæ &c. qui omnes fatentur determinari à voluntate potentias rationales, quæ sunt circa opposita indifferentes; & dant exemplum Medici, qui cum possit sanare, & ægritudinem inducere, voluntate sua determinatur ad sanandum. Ex quo exemplo etiam patet, an sit sermo de contrarijs, an vero contradictorijs. Sanare enim profecto est quid positiuum, nempe adhibere medicamenta &c. & ægritudinem inducere profectò est aliquid plus, quàm præcisè non sanare. Ego enim non sano, & tamen ægritudinem non induco. Eidem auctoritati subscribit Caiet. *p. 2. q. 65. a. 4.* vbi ait *Sicut enim voluntas terminat potentiam rationalem ad alterum contrariorum, ad quæ neutraliter se habet, vt dicitur 9. met. Sic & ad contradictoria.* Loquitur autē ibi de intellectu.

Probatur secundo ex S. Th. mille in locis; præcipua afferam. Primo quidem absolutè quoad omnes assensus obscuros legatur S. D. *p. 2. q. 17. a. 6.* vbi non incidenter, sed ex professo quærit. *An actus rationis imperentur. In corpore* postquã dixit actum rationis posse considerari, vel quantum ad exercitium, & sic actum rationis semper imperari posse; vel quantum ad obiectum, & hoc dupliciter, vel apprehendendo, vel assentiendo, & apprehendere quidem non esse in nostra potestate, sic subiungit. *Alius autem actus rationis est, dũ his, quæ apprehendit, assentit; si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talis, vel dissensus non est in nostra potestate,* (vide quomodo loquitur de necessitate specificationis) *sed in ordine naturæ, & ideo propriè loquendo naturæ imperio subiacet. Sunt autem quædam*

appræhensa, quæ non adeo conuincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse, vel dissensus, (nota, non dicit assensus, vel negatio assensus) *in nostra potestate est, & sub imperio cadit.* quid clarius? legatur totus Articulus, & supra dictum articulum Valentia *t. 2. d. 2. q. 12. de Imperio puncto. 5. §. quæritur igitur iam primo, & seq.*

Item quò ad fidem, & opinionem 2.2. *q. pr. a. 4. in corpore*, postquam dixit intellectum alicui assentiri, quia immediate, vel mediate euidenter proponitur, ait. *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quamdam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis, quàm in aliam; & si quidem sit hæc cum formidine alterius partis, erit opinio, si cum certitudine fides.* Voluntariè autem declinare in vnam partem magis, quàm in aliam, profecto est vi voluntatis alterum contrariorum eligere.

Respondet ad hanc auctoritatem Candidus D. Th. loqui de exercitio, non de specificatione. Primo, quia non potest sibi esse contrarius; dixerat autem S. D. 2. *de anima t.* 153. intellectum in opinando non esse liberũ quòad specificationẽ. Secundo, quia D. Th. *ad secundũ* dicit *credentem videre esse credendum;* in rebus autem visis nulla est libertas specificationis. Requiritur autem inclinatio voluntatis, ait Candidus, quia cum intellectus alioquin semper quærat motiuum euidens, requiritur voluntas, quæ imperet, ne quærat vlteriora motiua, sed motiuo fidei contentus illi assentiatur.

Sed hęc responsio est euidenter contra verba S. D. quę manifestè sonant specificationem non exercitium; nec timendum, ne S. D. sibi contrarius sit, ostendam

enim

enim infra *t.cit.de anima*, nec D.Th. somniare quidem libertatem quoad specificationem in opinando tollere. Quod verò affert ex doctrina D.Th. *hic ad secundum*, nō est ad rē.Loquitur. n. ibi S.D. de euidentia credibilitatis,nō de euidētia veritatis, quę est motiuū formale assensus. Vndè intellectus nō potest negare obiectū fidei, prudenter nō credi ob tot signa euidētia, sinè tamē voluntate imperante nō potest credere esse verū, & illi assentiri. Vndè fides nostra libera est, & ad illā requiritur pia affectio voluntatis. Quod autem subiungit, quod hæc requiritur, quia intellectus semper quærit verum euidens ;ita est, & ideo subiungat, quod non necessitatur nisi à vero euidenti, & ad verum non euidens indiget extremo determinante, vt dicit S.D. tùm alibi passim, tùm in hac 2.2.*q*.2.*a*.1. *ad tertium*.

Confirmatur ex Scoto *in* 3. *d*.25. vbi docet *voluntatem non mouere intellectum nisi moueat obiectum*.Ergo iam cum obiecto mouet. Consentiunt omnes primarij Christiani Orbis Theologi,qui testantur de communi. Vid.Suar. *de triplici virtute Theologica d.6.sect.6.* Valentia *loco supra citato*. Coninch. *de fide d.* 13. *dub.* 4. Turrian.*d.* 29.*dub.p. in* 2.2. Lorca ibidem *d.* 12. & nouissimè Card.de Lugo *de virtute fidei d.*10.*sect.*1. qui omnes multos SS. PP.& Doctores citant; adeo vt si auctoritatibus res hæc sit peragenda, actum sit de opinione Candidi Philalethi, qui fortasè nullum habet in terminis terminantibus Doctorem.

Probatur tertio, & quidem grauioribus auctoritatibus conclusio posita, quoad assensum fidei diuinæ. Primo ex illis verbis Domini ad Petrum. Lucę 22. *Ego rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua.* Ergo per gratiam,& preces Christi non defecit fides Petri ;quid nō defecit? assensusne actualis? nequaquam ; multoties

enim Petrus actu non credidit, nec enim semper permansit in actuali exercitio credendi; ergo non defecit fides quoad specificationem per merita, & preces Christi; ergo aliàs poterat deficere, nec enim Christus rogasset,ne eueniret id,quod euenire non poterat. Ergo non obstantibus tot signis visis, & reuelatione Christi applicata Petro, & tot actibus fidei iàm à Petro elicitis,erat indifferens Petrus ad credendum, quoad specificationẽ, vndè indiguit gratia, & precibus Christi.

Secundo ex illis Io: 12. *Et cum tanta signa fecisset coràm eis, non poterant credere;* vbi Augustinus, *quare non poterant credere,quia nolebant.* Respondit.Ergo pro voluntate ipsorum perfida remanebant in infidelitate; ergo intellectus eorum potuisset credere; ergo de se erat liber quoad specificationem, vt nimirum crederet, vel vt in infidelitate perseueraret. Et sanè hoc in loco August. inquirens,quare positis eisdem signis, & motiuis alter assentiat, alter dissentiat, alter illuminetur videndo, alter cęcus remaneat suo in errore, quæ profecto sunt membra contrarietatis, nullam aliam scit assignare causam immediatam,nisi voluntatem; quę autem, quare in vno sit, in alio non,recurrit ad altitudinẽ sapientiæ, & scientiæ Dei.

Tertio. Io: 15. dicitur de non credentibus, & suo in errore permanentibus, quod *excusationem non habẽt de peccato suo;* ergo fuere liberi ad credendum, non solum ad suspendendum assensum à suis erroribus; ergo fuere liberi quoad specificationem;cõdemnantur enim, non quia non suspenderint assensum à suis erroribus, sed quia positiuè non crediderint,iuxta illud; *Qui verò non crediderit,condemnabitur.*

Quarto. In multis locis sacræ Scripturæ dicitur *fideles debere captiuare intellectum in obsequium fidei;* hęc

autem

autem captiuatio fit à voluntate media pia affectione; modo sic; vel hæc captiuatio requiritur, ne intellectus positiuè non credat, vel tantùm ne suspendat assensum. Si primũ; habeo intentum; siquidem ergo intellectus est liber ad positiuè non credendum, & credendum, quæ est libertas specificationis; si verò dicatur tantum secũdum: quæso quæ captiuatio requiritur, quo nomine venit magna vis voluntatis ad hoc, vt intellectus, non suspendat assensũ de re, cui nõ potest dissentire? ad hoc sufficit simplex motus voluntatis sine vlla difficultate; sicut ad efficiendum, ne potentia motiua motum pedis suspendat. Vrgeo; captiuatio est motus voluntatis cũ difficultate ex parte potentiæ. Quare potentia sentit difficultatem, & vnde oritur hęc difficultas ad assentiendum? profecto ex motiuis falsitatis, quæ apparent in obiecto; motiua autem concernunt specificationem actus, non exercitium. Item motiua falsitatis non inclinant ad suspensionem assensus, sed ad dissensum; ergo si vincitur difficultas inducta à motiuis, vincitur illa inclinatio, quam habet intellectus ad dissensum, ac proinde captiuatur intellectus quoad specificationem non quoad exercitium. Modo captiuatio ad aliquid supponit captiuatum non modo liberum, sed inclinatum ad oppositum, ergo &c. Insto motiuum fidei tantùmne inclinat, & vrget intellectum ad assensum, quam ad dissensum motiua falsitatis? vel magis? vel minus? si primum; ergo sicuti motiuum fidei accedente voluntate mouet ad assensum, ita accedente voluntate motiuum falsitatis mouebit ad dissensum Si secundum, per se adeò debellabitur motiuum oppositum, vt nec voluntate accedente possit mouere; vndè quæ captiuatio requiritur, ad eius vincendum robur, quod neque voluntate accedente potest vim habere. Si verò tertium,

ergo

ergo si motiuum fidei minus mouens accedente volũtate potest mouere ad assensum, quid faciet circa dissensum motiuum oppositum magis mouens accedente voluntate.

Quinto. Demùm ex locis illis Concil. Arausicani, Toletani,& Tridentini, quæ ad præsentem quæstionẽ trahunt DD. citati; videantur illi, non enim iuuat eadem repetere; sed iam rationibus.

Probatur quarto Conclusio, quia intellectus constitutus circa obiectum obscurum, cum rationibus validis hinc,& inde, licet validioribus pro parte affirmatiua quàm negatiua trahitur positiuè,& vrgetur ad dissensum, licet magis trahatur,& vrgeatur ad assensum; ergo simpliciter est liber quòad specificationem, & simpliciter potest elicere assensum, vel dissensum; ergo poterit intellectus pro libertate in opinando sequi partem minus probabilem relicta probabiliori. Hæc secunda consequentia est euidens, sequitur enim manifestè ex prima. Ergo à fortiori inter æquè probabiles constitutus intellectus poterit pro libito, quam voluerit opinari. Hæc quoq; clara est.

Antecedens probatur, quia rationes illæ, quia simpliciter sunt alicuius roboris, aliquam habent vim, quàm omninò non amittunt, quia concurrunt cum fortioribus, aliàs nullius remanerent roboris,& euidenter soluerentur, & dignoscerentur friuolæ; ergo quia sunt causæ naturales necessario agent,& quantum possunt agent; ergo mouebunt simpliciter,& vrgebunt intellectum ad dissensum; mouebunt inquam, non tantum quantum oppositæ, sed pro sua actiuitate. Et sanè quãdo contraria concurrunt licet vnum sit maioris actiuitatis, non proinde aliud simpliciter non agit, sed agit,& illud, licet minus. Item intellectus etiam quando assen-

titur

titur parti probabiliori formidat de opposita,& timet de falsitate obiecti, cui assentitur; & hoc est essentiale opinioni, licet probabilissima sit. Quid est autē intellectū timere, & formidare de veritate partis, cui assentitur? profectò timere voluntatis est, timor enim sicut,& spes sunt actus voluntatis; quid est ergo intellectum timere, nisi intellectum trahi à motiuis pro parte opposita, vrgeri ab illis,& inclinare ad dissensum; ergo à motiuis licet minus validis mouetur, & vrgetur intellectus simpliciter ad dissensum, licet magis trahatur ad assensum: ad dissensum dico, non ad negationem, seu suspensionem assensus, quia obiectum mouet ad actum, non ad suspensionem actus, mouet enim ad id, cuius est causa, & ad id, ad quod datur; datur autem ad agendum; & sicut verum ad assensum mouet, sic falsum ad dissensum. & ratio est à priori, quia non agere est tantum potentiæ, obiecti vero est agere.

Consequentiam igitur primam iam probemus sic. Intellectus non inclinat simpliciter ad aliquid, ad quod sit impossibile, quod feratur; non inclinat ad id, quod nequit habere. Vniuersaliter enim nulla potentia inclinare potest ad impossibile; ergo si intellectus etiam stantibus motiuis fortioribus pro parte affirmatiua, adhuc inclinat ad dissensum; poterit simpliciter ferri ad dissensum, & illum eligere. Vrgeo hæc inclinatio ad dissensum non est vllus actus elicitus, sed est ipsa naturalis propensio intellectus circa obiectum, quod habet vim illum mouendi; sed nulla propensio naturalis datur ad impossibile; ergo si intellectus etiam stantibus motiuis fortioribus pro parte opposita adhuc inclinat ad dissensum, possibilis est ipsi dissensus. Neq; vero solum in sensu diuiso à fortioribus motiuis, sed etiam in sensu composito; nam hæc fortiora motiua nō tollunt

minus

minus fortibus vim ſimpliciter inclinandi;ergo ad quid poſſibile cum illis.

Inſto. Quia cum motiuis euidentibus ad aſſenſum non poteſt intellectus diſſentiri, ideo motiua apparentia pro diſſenſu non mouent intellectum, nec intellectus circa diſſenſum vllam inclinationem ſentit; ergo inclinatio terminum ſuum poſſibilem ſupponit. Et tamen in ſenſu diuiſo à motiuis euidentibus, poſſunt motiua apparentia non modo inclinare, ſed producere diſſenſum; ergo &c. Item quare intellectus non habet inclinationem ad actũ, cuius non habet ſpeciem? profectò, quia eſt impoſſibilis illi talis actus pro eo ſigno, pro quo non habet ſpeciem, licet abſolutè ſit poſſibilis; ergo pro eo ſigno, pro quo datur inclinatio requiritur, quod obiectum ſit poſſibile, ſeu terminus inclinationis ſaltẽ quò ad ea, quæ ſe tenent ex parte actus primi.

Dico quò ad ea, quæ ſe tenent ex parte actus primi, quia poſſet dici. Stat inclinatio, & propenſio intellectus ad diſſenſum, etiam ſtante aſſenſu, adhuc enim in ſenſu compoſito cum aſſenſu intellectus formidat, & tamen non poteſt cum aſſenſu componi diſſenſus; ergo inclinatio, quæ eſt ad diſſenſum ſtantibus motiuis fortioribus, eſt ad diſſenſum in ſenſu diuiſo ab illis.

Aſſignatur enim diſparitas manifeſta in ipſa natura inclinationis, & motionis obiecti; nam mouere, & inclinare ad diſsenſum eſt omninò mouere, & inclinare ad tollendum aſsenſum, & ponendum fortè etiam per Dei potentiam formam incompoſſibilem cum aſſenſu; vndè ipſa inclinatio, & motio ad diſsenſum ex ſua natura inuoluit, ſi reducatur ad actum ſenſum diuiſum ab aſſenſu. Secus autem non inuoluit ſenſum diuiſum à motiuis ad aſsenſum, vt reducatur ad actum, cum per ſuum actum non deſtruat illa, vt patet. Adde

quod

quod actus ex vno motiuo non habet maiorem oppositionem cum motiuo opposito quàm motiuum à quo procedit; ergo si motiua opposita non habent incompossibilitatem ad esse simul, nec actus cum motiuo. Sicut actus ex vno habitu elicitus non habet maiorem oppositionem cum habitu opposito, quam suus habitus. Ideo &c.

Demùm efficaciam prędictæ consequentiæ sic ostẽdo. Quotiescumq; obiectum habet trahere intellectum, & illum vrgere, signum est euidens, quod id obiectum potest agere, & conatur agere, trahit enim intellectum solùm ad agendum; sed in casu nostro motiuum minus forte trahit, & vrget intellectum, vt probatum est; ergo potest tale motiuum agere, non obstantibus quibuscũque; ergo poterit intellectus voluntate accedente tali motiuo cooperari, & producere dissensum. Intellectus enim de se semper est potens, & dummodo habeat aliud comprincipium simpliciter potens, constituit cum illo adæquatum principium simpliciter potens operari. Et sane insufficientia ad agendum semper oritur ex parte motiui, nunquam ex parte intellectus; & omnes rationes, quas contra hanc sententiam adducit Candidus, innitũtur huic principio, quod motiuum minus forte, cum fortiori concurrens nequit mouere intellectum, nequit agere.

Probatur quinto quia, vel voluntas aliquo modo subdit sibi intellectum quòad specificationem actuum: vel nullo modo, sed tota specificatio actuum dependet solùm à motiuis. Si primum; ergo intellectus quòad specificationem actuum erit liber. Si secundum, quod necessario teneris fateri; ergo neq; intellectus poterit assentiri parti probabiliori, quod absurdissimum est & contra te. Cõsequẽs illatum probo. Motiuum partis

minus probabilis efficiet, ne intellectus possit assentiri; nàm motiuum minus forte esto per se non possit concurrendo cum probabiliori producere dissensum, potest tamen concurrendo cum probabiliori efficere, vt intellectus positiuè dubitet, quod dubium positiuum, & formale repugnat cum assensu, & fortè magis quàm dissensus; connotat enim essentialiter negationem assensus, quàm saltem in ordine ad diuinam potentiam est probabilis sententia Philosophorum, quod non importet dissensus. Potest, inquam, producere dubiũ positiuum, quod non est mera suspensio assensus, seu negatio illius; constat enim, quod sæpe ego non habeo actum fidei, & vrgente motiuo in contrarium non elicio actum fidei, sed suspendo; & tamen profectò positiuè dubius in fide non sum, aliàs infidelis essem, quod absit; iuxta illud, *dubius in fide infidelis est.* Igitur dubitare positiuè importat aliquem actum positiuum, qui contrarius est assensui; Igitur cum intellectus non sit liber vllo pacto quoad specificationem, non erit liber ad eliciendum alterutrum ex his actibus contrarijs, assensum scilicet, vel dubium positiuum, sed solum ad ponendum dubium positiuum, vel non ponendum. Igitur nullo pacto poterit parti quantumuis probabiliori assentiri, quod absurdum est.

Insto. Dubium positiuum potest elicere. Hoc nullus negabit; si ergo etiam potest elicere assensum, ergo iam intellectus est liber ad contraria, & non est necessitatus necessitate specificationis. Faciet ne ergo contraria? absit; quis ergo eius indifferentiam determinabit, vt vnum actum præ alio eliciat? voluntas profecto, quæ sola imperat, quæ formaliter sola libera est; ergo etiam quoad contraria indiget intellectus imperio voluntatis; ergo voluntate imperante, dũmodo sint rationes hinc,

&

& inde validæ, poterit pro libito, cui voluerit parti assẽtiri.

Vrgeo. Nullo pacto poterit intellectus producere assensũ. Probo. Intellectus si vult operari, necessario per se debet elicere illum actum, ad quem habet fortiora motiua; sed habet fortiora motiua ad eliciendum actũ dubij positiuum, quàm ad assensum; ad hunc enim mouetur intellectus ex motiuo partis probabilioris, ad illum autem ex vtroque; ergo &c.

Quod autem dubium positiuum, & formale non sit mera negatio assensus, sed sit aliquis actus positiuus, ex quo sequatur negatio assensus, patet, quia intellectus positus inter motiua contraria, siue æquè, siue vnum fortius alio potest positiuè formaliter non dubitare, & tamen positiuè neutri parti assentiri; vndè habebit negationem assensus, & tamen formaliter positiuè non dubitabit. Patet in casu fidelis, cui proponatur veritas mysterij Trinitatis, cum motiuis in oppositum: iste non per hoc prçcisè quod non assentiatur, positiuè dubitat, aliàs infidelis esset, & esset obligatio eliciendi actũ fidei, quotiescunq; adsunt motiua in contrariũ; quod nemo dixerit, & tamen iste habet negationem assensus. Ergo positiuè dubitare est aliquid plus, quàm neutri parti assentiri; ergo est actus aliquis positiuus.

Dices. Dubitare positiuè formaliter dicit negationẽ assensus prouenientem à motiuis, seu vi motiuorum resultantem in intellectu; illa autem alia negatio, quæ non est dubium positiuum formaliter, est negatio proueniens à pura voluntate.

Contra tamen euidenter quia, esse negationem prouenientem à motiuis dicit aliquid amplius, quàm esse negationẽ assensus, & esse motiua in intellectu; potest enim, vt dicebam, esse hæc negatio assensus cum motiuis in intellectu, & tamen non prouenire ab illis, sed,

vt dicis à voluntate; ergo significatur aliquis influxus aliqua causalitas ex motiuis in hanc negationem; non quidem immediatè in negationem, causalitas enim, & influxus motiuorũ est quid positiuũ, quod non potest terminare ad non esse; ergo mediatè inquantũ producit aliquẽ actũ, ex quo essentialiter resultat negatio assensus. Qui nam erit iste actus? iudiciũ intellectus, quo iudicet vtramq; partem esse dubiam, veritatẽ esse in dubio.

Concludo. Quidquid sit de eo, quod est dubitare positiuè quid sit; certè concurrentibus motiuis probabiliori, & minus probabili, potest intellectus elicere hunc actum, quod veritas est in dubio; quin solum potest hunc actum elicere, quia ad hunc actum concurrunt motiua vtriusq; partis ideoq; fortiora. Ergo non poterit elicere actum contrarium, qui est assensus; ergo non poterit assentiri parti probabiliori. Vel si potest etiam assentiri, ergo ad contraria potest; ergo cum se non possit determinare, & vtrumq; efficere non possit, indigebit determinatione voluntatis, & per cõsequens erit liber quò ad specificationem, & contrarietatem actuum. Quidni igitur quò ad assensum, & dissensum?

Probatur sexto. Si intellectus esset formaliter liber, sicuti est tantum denominatiuè à voluntate, vtiq; esset liber libertate contrarietatis, & posset se pro libito ad alterutrum cõtrariorum determinare; ergo etiam nunc est liber ad contraria denominatiuè, & potest accedente imperio voluntatis alterutrum contrariorum eligere. Patet consequentia, quia omne illud potest nunc intellectus accedente imperio voluntatis, quod posset se solo, si esset à se formaliter liber, valeretque seipsum determinare; subordinatio enim voluntati nõ tollit potentiam agendi, sed præcise determinationem à se. Antecedens probatur quia, in eo casu intellectus

in ordine ad suos actus se haberet, sicut voluntas in ordine ad suos; ergo sicuti voluntas potest prolibito ex bonis æqualibus quodlibet eligere, quin & eligere minus bonum, relicto maiori bono; quod vtinam non fieret quotidie, non enim peccaremus, nec præhaberemus bonũ temporale æterno, creaturã Deo; sic etiam intellectus posset prolibito quoduis verũ eligere, ex duobus æqualẽ veritatẽ præseferentibus cui liberet, assentiretur, & etiam minus vero probabiliori relicto.

Et confirmatur paritas quia, non minus obiectum voluntatis est bonum, ac intellectus verùm; & sicut intellectus non potest aliquod obiectum iudicare assentiendo, vel dissentiendo, nisi motus aliqua ratione veri, vel falsi; sic neque voluntas potest aliquod obiectũ fugere, vel amare, nisi mota ratione mali, vel boni; ergo similiter, sicut voluntas potest obiectũ quoduis eligere, dummodo ex parte ipsius elucescat ratio boni, licet cõcurrat cum æque bono, vel meliori; etiam intellectus poterit quoduis verum eligere, etiam si concurrat cum æquè vero, vel probabiliori; æquè enim trahitur volũtas à bono, ac intellectus à vero; sicut ergò voluntas solum necessitatur, quoad specificationem ab obiecto summè bono, sine vlla mixtura mali; sic intellectus solum necessitabitur quoad specificationem ab obiecto summè, hoc est euidenter vero.

Prob. 7. Specialiter quoad assensus fidei diuinæ sic. Infideles, & Hæretici, qui permanent in suis erroribus, & non eliciunt actum positiuum fidei assentientes mysterijs reuelatis, quotiescumq; dicta mysteria eis sufficienter proponuntur, peccant; ergo sunt liberi ad positiuè credendum: non enim peccatum omissionis alicuius actus stat sine libertate, & potentia ad actum; alias Deus obligaret ad impossibile. Ergo libera est ani-

ma libertate etiam contrarietatis quoad assensus fidei diuinæ; dissentit enim de facto mysterijs diuinis, & tamen simul est potens assentiri, & credere, alias non assentiendo non peccaret.

Dices. Peccāt infideles, quia non suspendunt assensū à suis erroribus, vt possunt. Contra euidenter, quia præceptum fidei est præceptum positiuum, vndè non cadit supra omissionem errorum per se primario, sed supra positiuum assensum fidei diuinæ. Peccant autem infideles dissentientes mysterijs fidei, seu permanentes in suis erroribus, quotiescumq; mysteria fidei sufficienter proponuntur; quia non implent præceptum fidei; ergo quia positiuè non assentiuntur; ergo dissentientes possunt assentiri. Vrgeo, qui non assentitur erroribus, non per hoc est fidelis, non per hoc non peccat, alias Atheus negatiuè, hoc est qui nulli rei credit excusaretur à peccato, quod absit. Requiritur ergo ad euitādum peccatum positiua credulitas, ergo qui assentiendo suis erroribus peccat, ideo contra fidem peccat, quia positiuè non credit; ergo potest credere.

Dices secundo. Peccant infideles, & hęretici, non quia non credunt, sed quia non attendunt motiuis nostræ fidei, & euidentiæ credibilitatis, signis, &c. quibus profectò si attenderent, possent credere; vndè mediatè tantum peccant, quia non credunt, quatenus scilicet non ponunt id, quo posito possent credere.

Contra tamen euidenter est, quia quid est attendere motiuis nostræ fidei? est ne illa cognoscere; illa penetrare, illa videre? profectò illa vident hæretici, & infideles; sufficienter enim à cathechizātibus illa ipsis proponuntur, vt patet discurrenti per omnia signa, quibus nostra fides redditur euidenter credibilis, & tamen non credunt. Quin & hæretici præcipui toties disputant

tant cum Catholicis, & ab eis vi argumentorum conuincuntur, nesciunt respondere; possuntne melius cognoscere vim motiuorum nostræ fidei? & tamen non credunt, & in hoc peccant; ergo possunt credere, & habent sufficientia motiua ad credendum. Nõ autem credunt, quia cum illa non necessitent, nolunt trahi, & ideo peccant. Et sanè de Hebræis, & Hæreticis, sæpè dicimus, quod sunt obstinati, proterui. Prçterea Hæbreorum obstinationem non dicimus pçnam esse peccati? Quid est obstinatio? estne defectus intelligentiæ? nequaquam: obstinatio est actus intellectus, quo ità firmiter adhæret suis erroribus, vt ab illis nolit dimoueri. Et sanè D. August. vbi supra *in Ioannem*, quare quando mysteria fidei duobus æqualiter proponuntur, vnus credat, alter in suo errore perseueret, nullam aliam scit causam, nisi voluntatem vtriusque; ergo liberum est credere illis, qui in suo errore perseuerant.

Vrgeo. Christus in Euangelio, quoties conqueritur; quod Hçbrei tot signis visis non credant, & remaneant in suo errore, ac proinde illis damnationẽ æternam minatur; igitur poterant credere Io. 10. dicit. *Opera ipsa testimonium perhibent de me; quare non creditis? si mihi non vultis credere, operibus credite.* nota ly *si non vultis credere*; quia si non credant ipsi, non in insufficientem propositionem, sed in eorum voluntatem refundit. Poterant igitur Hæbrei credere, operibus Christi visis, & tamen noluerunt Credere; vnde Christus exprobrat eorum incredulitatem. Nõ video, quæ responsio, vel apparens possit huic argumento afferri.

Probatur octauo, quia sequeretur, quod fidelis nunquam posset in hæresim labi, vel si laberetur, non posset remanere in fide, etiam in sensu diuiso. Vtrumque profecto absurdissimum; ergo liber est intellectus libertate

bertate contrarietatis ad credendum, & dissentiendum &c. sequelam probo; vel fidelis quando est in plena libertate, & aduertentia semper potest assentiri fidei, vel non; si primum, ergo nunquam posset labi in heresim, quando enim potest credere, non potest discredere, alias dabitur libertas cōtrarietatis, quam propugno; si vero secundum: ergo aliquando non potest remanere in fide; igitur non peccabit, si fiat hæreticus, si derelinquat fidem, non enim peccat, qui derelinquit id, quod non potest retinere. Profectò quæ absurda sunt ista?

Confirmatur. Vrgente graui tentatione in materia fidei, qua fidelis miserè torquetur, si ei resistat eliciendo actum fidei, dicemusne illum non potuisse succumbere tentationi? succubuisset autem non suspendendo assensum, sed dissentiendo. Magna profectò esset victoria, quam vel inuitum necesse fuit obtinere? quod si cedat, dicemusne non potuisse in fide remanere credendo? profectò vtrumq; absurdissimum est.

Recolligo hæc duo argumenta hoc exemplo. Enutriatur aliquis hæreticus, vel infidelis adultus Romæ apud Cathecumenos per mensem, quotidie edoceatur mysteria fidei. Semper dissentiat, nolit credere, non credat in Baptismum, &c. moriatur in fine mensis; peccauitne peccato infidelitatis iste? vtique; igitur potuit non peccare, ergo positiuè credere; nisi enim positiuè credendo semper peccasset, & nunquam fidelis euasisset; ergo potest quis dissentiens mysterijs fidei, illis positiuè assentiri; igitur libera est anima libertate contrarietatis quoad assensus fidei diuinæ.

Et his argumentis etiam conuincitur intellectum esse liberum quoad specificationem opinando, & credendo fide humana, vt supra insinuaui, & supponunt

D.D.

D.D. esse similem rationem. Vnum excipe Coninch. *loco supra cit. num.* 41. 42. qui tamen in hoc deceptus summè est, æquiuocationem maximam committens, pro eodem supponens iudicare propositionem esse probabilem, & eidem assentiri, quam acutissimè detegit Cardinalis de Lugo *de virtute fidei* vbi supra; videatur ipse. Sicut alia argumenta pro nostra conclusione apud DD. citatos videri possunt.

SECTIO QVINTA

Soluuntur argumenta Candidi Philalethi.

DVplici rationum genere probat Candidus non esse liberum opinari quoad specificationem; altero ab extrinseco, hoc est ab auctoritate; altero ab intrinseco, hoc est ratione desumpto. Prius soluamus argumenta ab auctoritate, deinde à ratione.

Prima auctoritas quæ affertur est Aristotelis 2. *de anima t.* 153. vbi ait, *quod autem non est eadem phantasia, & existimatio manifestum est. Hæc enim passio in nobis est, cum volumus; licet namque cumlibet fingere quidquid volumus: opinari autem in nobis non est; necesse enim est verum, aut falsum dicere;* Si igitur ex Philosopho opinari non est liberum, saltem quoad specificationem non erit liberum. Accedit Commentator ibidem, qui dicit *imaginari esse voluntarium, existimare non, quia contingit necessariò verum, vel falsum existimare*. Accedit Simplicius, Themistius, Philoponus, qui idem dicunt. Igitur Philosophorum antiquorum auctoritate clarum est, non esse liberum opinari, saltem quoad specificationem.

Miror, quod Candidus in hac auctoritate adeo quiescat, vt in ea fundet doctrinã, & conclusiones omnes,

quas tradit *in illa sua disputatione*; cum hæc auctoritas, & sua ratio ab omnibus afferatur, & ab omnibus soluatur, & Candidus solutionem adeo negligit, vt illam nec impugnet, nec referat.

Resp. Igitur, quod Aristoteles solum vult nos non posse pro libito opinari, sine vlla ratione, sine vllo motiuo veritatis, sed necessario adhoc, vt aliquid possimus opinari, necesse esse, vt aliquod motiuum habeamus, & obiectum proponatur nobis sub aliqua specie veri, ad differentiam imaginationis, seu phantasiæ, quia pro libito possumus, quidquid volumus fingere. E. G. possũ imaginari Gigantem vertice Cælos attingentem, etiãsi nullum habeam motiuum prædictæ imaginationis. Nõ autem negat Philosophus, me non posse pro libito opinari, quotiescumq; ex vtraq; parte habeo motiua valida, & rationes. Immo tunc requiri imperium voluntatis ad assentiendum vni potius, quàm alteri parti docuit Philosophus 9. *met. t.* 10. *cit. sect. præced.* Vnde ante motiua, vel sine motiuis pro vtraque parte non est liberum opinari, secus positis motiuis. Sicut voluntas ante, vel sine motiuis boni non est libera ad amandum; secus positis motiuis pro vtraque parte pro libito potest quamuis eligere. Et ratio est à priori, quia intra suum obiectum potest quidem potentia pro libito vagari, secus extra. Motiuum autem, seu ratio veri est obiectum formale motiuum intellectus, sicut voluntatis bonum.

Disparitatem autem inter imaginationem, & opinionem, quam etiam appellat existimationem, pulchrẽ assignat Philosophus; quia opinando, seu existimando necessario debemus aut verum, aut falsum dicere, secus imaginando. Quæ ratio meo iudicio non benè fuit à Candido intellecta, dum illam ita explicat. Necesse

est,

est, quod intellectus opinando eliciat propositionem veram, vel falsam; ergo dependet à motiuis. Hæc enim ratio sic explicata non probat intentum, nec est valida; consequētia enim nulla est, nec ex antecedenti consequitur; quod ostendo euidenter. Hæc illatio est ab effectu ad causam, dependentia enim à motiuis debet esse causa, quod intellectus opinando eliciat propositionem, quæ vera sit, vel falsa; sed non est causa; ergo est fallacia ad non causam quasi causam. Minorē probo; etiamsi intellectus per impossibile non dependeret à motiuis, sed posset assensum, vel dissensum elicere sine vllo motiuo, adhuc eliceret propositionem, quæ vera esset, vel falsa; si quis enim posset asserere, quod astra sunt paria, ad quam propositionem nullum habet motiuum, adhuc tamen diceret necessario verū, vel falsum; hæc enim propositio necessario est vera, vel falsa; quia à parte rei vel astra sunt paria, vel imparia. Causa igitur, quod propositio elicita sit necessario vera, vel falsa, ex regula contradictoriorum prouenit; quia necessario, vel est conformis obiecto enunciato, vel non. Igitur, quod necesse sit intellectum in opinando verum, vel falsum dicere, impertinenter se habet ad dependentiam à motiuis.

Aliter ergo debet explicari prædicta propositio, vt habeat bonum sensum, & probet intentum Philosophi. Necesse est verum, vel falsum dicere; hoc est necesse est, vt intellectus opinando dicat de obiecto proposito, an verum sit, vel falsum, hoc est, an sit quale proponitur, vel non sit; vno verbo debet assentiri, aut dissentiri; igitur pendet à motiuis, quia non gratis potest dicere, aliquid ita se habere, vel non; esse, vel non esse. Imaginatio autem non pendet à motiuis, quia nō dicit esse id, quod fingit, nec assentitur, nec dissentitur

obiecto imaginato, vnde habet Philosophus hic, & cap. sequenti, quod *opinionem sequitur fides, & putamus vera esse, quæ dicimus. Secus imaginando.*

Quin, & Aristoteles hic non loquitur de opinione, quà opinio est, sed quà assensus simpliciter est, vt patet tum *ex t.* 154. *in fine*, vbi dicit existimationem, quam *t.* 153. appellauerat opinionem esse genus, & habere sub se plures species, scientiam, prudentiam, opinionẽ, tum *ex t.* 157. vbi opinionem propriè ibi ex professo distinguit ab imaginatione. Accedit Simplicius ibidem, qui in terminis ait; *Existimatio latius patet, quàm opinio, opinio autem hic pro omni existimatione accepta fuit*. Toletus ibidem.

Requiruntur ergo motiua ad opinandum, siue ad dicendum, quod aliquid sit, vel non sit; ita se habeat, vel non ita se habeat. Suppositis autem motiuis pro vtraq; parte poterit anima, quod voluerit opinari. Legantur omnes Interpretes, & Commentatores, qui loquuntur de defectu rationum simpliciter, ad differentiã imaginationis, ad quam nulla ratio requiritur, & patet ex exemplis, quæ afferunt, dùm aiunt nos non posse opinari, quod duo, & duo faciant quinq; vtique, quia nulla ratio suppetit.

Sed esto, intelligatur propositio illa Philosophi necesse est verum, vel falsum dicere, & vult Candidus, quid contra nos? requiruntur motiua simpliciter, concedo; suppositis motiuis validis non potest intellectus, cui voluerit assentiri, siue illa in se sit vera, siue sit falsa, dummodo habeat motiuum validũ, quo appareat sufficienter vera, etiamsi aliunde appareat æquè, vel firmius falsa, nego. An non sic saluatur differentia opinionis à phantasia, quæ sine vllo motiuo, quod sibi placet, fingit?

Eadem responsione satisfit omnibus Philosophis adductis.

adductis. Benè enim dicit Commentator, quod opinando contingit necessariò verum, vel falsum existimare, hoc est iudicare, quod obiectum sit verum, vel falsum, ita se habeat, vel non. Ad hoc autem requiruntur motiua, vnde nullis motiuis suppositis non possumus existimare verum, vel falsum; at illis suppositis, & quidem pro vtraque parte tunc liberum est, & voluntarium, quam volumus partem existimare.

Idem etiam intendit Simplicius, dum ait; *assensus fit non solum secundum occurrentium intellectionem, hoc est per meram apprehensionem, sed per veri, & falsi distinctionem.* Hoc est distinguendo verum à falso. Quomodo autem intellectus distinguit verum à falso? Vero assentiendo, falso dissentiendo; quia autem verum, & falsum est in rebus, & non in nobis, ideo ad hoc, vt intellectus iudicet aliquid esse verum, vel falsum, requiruntur motiua se tenentia ex parte rerum; quibus tamen suppositis, & quidem pro vtraq; parte non negat Simplicius posse intellectum pro libito, quam voluerit partem opinari;

Idem vult Themistius; idem Philoponus, quia enim opinando dicimus aliquid, vt verum, seu esse verum, vel vt falsum; ideo dependemus à motiuis simpliciter: sed non à solis, sed etiam à voluntate, quando motiua plura sunt, & valida, & vtramq; partem afficientia; vnde benè subiungit, quod si volumus imaginari rem prout est, dependemus à motiuis; quod si rei prout est, seu de veritate rei habeamus diuersa motiua, vtraq; valida, imaginamur vtiq; semper verum intendentes, dum pro libito quoduis motiuum sequimur; quia validū vtrumq; est, & vtrumq; simpliciter præsefert veritatem.

Et pro confirmatione nostræ responsionis placet hic afferre quædam verba Suessani super hunc textum,

qui

qui vbi retulit Io: Picum visum sensisse non esse liberũ opinari, & credere alterutram partem contrariorum, ait. *Ad res, quæ nostro intellectui occurrunt, intellectus dupliciter se habet; vno modo limitatè, & simpliciter determinatus, quemadmodum ad veritatem primi principij. Alio modo in potentia neutra, vel cum persuasione ad vnam magis partem, quàm ad alteram; Tunc dicerem, quod in nostra potestate non est credere propositiones, ad quas intellectus occurrit primo modo, & hoc Themistius, Aristoteles, Auerroes, & Simplicius testantur. Et si sic intelligat vir iste, procul dubio optimè inquit. Si verò intelligat, quod voluntas respectu etiam duorum, non potest limitare intellectum ad sic, vel sic credendum, procul dubio cum eo non sum.* Picus autem re vera solum voluit, quod sine vlla ratione ex sola voluntate præcisè non posset quis credere, nec opinari, vt patet *ex eius disputatione de libertate credendi*, quod verissimum est. Suppositis autem varijs rationibus pro vtraque parte non negauit libertatem voluntatis, ut negat Candidus.

Secunda auctoritas, quæ affertur est D. Th. & Caiet. super hunc textum, & D. Th. *p. 2. q. 13 a. 6. ad tertium*; ubi dicit *voluntatem ab æque mouentibus non moueri, nisi secundum, id in quo alterum eminet*; ergo intellectus non mouebitur nisi à parte magis probabili, quæ sola eminet. Et 2.2. *q. p. a. 4. ad secundum* dicit *credibilia esse visa credenti*; sed visa necessitant quoad specificationem; ergo &c.

Satis patet ex auctoritatibus sup. *sect. præcedenti* adductis D. Th. esse pro nostra sentẽtia. De Caiet. miror quod afferatur, qui tantum abest, quod voluerit intellectum esse necessarium in opinando, quod potius suspectus est, quod tantam libertatem concesserit, vt

voluerit

voluerit sine vllo motiuo posse intellectum prolibito opinari, licet fortè falso, vt supra ostendi. D. Th. igitur, & Caiet. super hunc textum solum requirunt motiua ad opinandum, quibus positis liberum est intellectui cui voluerit parti assentiri.

Quod adducitur *ex p. 2.* à multis Thomistis Caietano cum primis negatur esse de mente S. D.; sed esto, negatur consequentia, & paritas, quia ibi est sermo de electione mediorum; supposito autem, quod voluntas velit efficaciter aliquem finem, de necessitate vult etiam quoad exercitium medium sub aliqua ratione magis conducens ad finem. Alia autem obiecta potest pro libito eligere. Quia igitur intellectus nõ habet hanc subordinationem mediorum ad finem, sed respicit omnia sub ratione veri, vt obiecta simpliciter, nullum alteri subordinando, ideo ex eo, quod intelligat vnum, non est necessitatus intelligere aliud, seu alteri assẽtiri, sed quoad omnia sua obiecta, dũmodò non sint euidentia, seu euidenter cõnexa est liber libertate cõtrarietatis. Quod vero additur ex 2. 2. iam satis explicatũ est *sect. praeced.*

Citatur etiam Maior *in 4. q. 2. prol.* sed immeritò; cũ clarè ibidẽ cõtra 4. *cõclusionem* fateatur ex passione animi, seu voluntate posse intellectum vni parti prae alia assentiri. Legatur omninò Maior, & ipse Candidus *q. 6. in fine.*

Citatur Richard. de media Villa *in 2. senten. d. 38. a. 2. q. 4.* sed aduertendum, quod ibi loquitur Richard. contra illos, qui asserebant voluntatem non posse mouere praeter, vel contra iudicium intellectus, & contra illos hoc absurdum vrget; ergo intellectus necessitatur ad suos actus, & probat consequentiam verbis à Candido adductis. Vnde non est citandus pro hac sententia, cum potius hoc reputet absurdum; concludit enim;

si ergo

si ergo iudicat intellectus, non de necessitate aliquorum prædictorum modorũ, huius ratio est, quia voluntas potest mouere intellectum, &c. legatur textus.

Videamus modo quanti ſint roboris argumenta intrinſeca.

Primum argumentum, quod in tota hac ſecunda quæſtione ſæpiſſime mutatis aliquantiſper terminis repetit, eſt huiuſmodi. Intellectus opinando neceſſe eſt, vt verum, vel falſum dicat, ſed in dicendo verum, vel falſum, ſiuè aſſentiendo, ſiuè diſſentiendo, pendet tantùm ab obiecto, & nullatenus à motione voluntatis; non enim aſſenſus, vel diſſenſus eſt verus, vel falſus, quia voluntas imperet, ſed quia conformatur, vel non conformatur obiecto ſuo; obiectum autem de ſe mouet independenter à voluntate, eſt enim cauſa naturalis neceſſario determinata ad agendum; ergo intellectus opinando, ſiuè aſſentiendo, ſiuè diſſentiendo, ſaltem quoad ſpecificationem eſt neceſſarius; quod enim dependet à mouente neceſſario ſolum, neceſſario agit; ſed quod aſſenſus, vel diſſenſus ſit verus, vel falſus pendet tantum ab obiecto, quod eſt mouens neceſſarium; ergo intellectus, qui opinando ſemper debet dicere vel verũ, vel falſum quoàd ſpecificationem neceſſario agit.

Hoc argumentum intolerabili æquiuocatione laborat; aliud eſt enim, quod aſſenſus, vel diſſenſus, ad hoc vt ſit verus, vel falſus nullactenus pendeat à voluntate, ſed ab obiecto, cui conformatur, vel non; & hoc veriſſimum eſt; aliud vero, quod intellectus in eliciendo hũc aſſensũ, cuius veritas ab obiecto tantum dependet, nullo pacto dependeat à motione voluntatis, quod falſiſſimum eſt; non poteſt quidem voluntas facere, quod iſte aſſenſus, vel diſſenſus ſit verus, vel falſus; poteſt tamen voluntas facere, quod iſte aſſenſus, vel ille diſſenſus eliciatur

ciatur, quando vterq; actus habet pro se motiuum validum. Veritas ergo huius actus eliciti non pendebit à voluntate, ex eo enim tantum, quod res sit, vel non sit, propositio est vera, vel falsa; at quod eliciatur hic præ alio, quod potius assensus, quàm dissensus, hoc profecto pendebit à motione voluntatis, vnde liberum erit quoad specificationem opinari.

Illa igitur propositio, intellectus opinando verum, vel falsum dicit, in primis debet intelligi vtsupra; quod scilicet necesse sit, vt intellectus opinando iudicet rem esse veram, vel falsam, rem ità se habere, vel non ità se habere. Vt hoc autem iudicet, quando motiuum est euidens, seù constat euidenter de veritate rei, vel falsitate, quoad specificationem non est opus voluntate; at verò, quando motiuum est ineuidens, & pro vtraque parte sunt rationes tàm pro veritate, quàm pro falsitate, tunc requiritur motio voluntatis, vt intellectus potius ex motiuis falsitatis dissentiatur, quam ex oppositis assentiatur, vel è contra. Sed intelligatur, vt vult Cãdidus, necesse est, vt intellectus eliciat propositionem veram, vel falsam, quę vera est etiam propositio, quia inter vtramq; non datur medium. Dico, quod intellectus de se semper habet elicere propositionem veram, verum enim solum est obiectum intellectus; quod si falsum dicitur, est per accidens, decipitur enim sub specie veri. Quia autē proponuntur intellectui duæ propositiones obiectiuæ contradictoriæ, quæ licet ambæ veræ esse non possint, proponuntur tamen ambæ sub specie veri, obscurè tamen adeo, vt vtraq; habeat admixtam speciem falsi; quid faciet intellectus? necessario quantum est ex se, debet dicere verum, hoc est elicere propositionem, quam putet veram, & ad quam moueatur à specie veritatis; quia autem vtraq; propo-

sitio obiectiua habet speciē veritatis; ideo vtramq; disiunctiuè potest intellectus amplecti; quia autem à se non potest determinari, nec ab obiecto sufficienter determinatur, quia vtraq; apparet vera, accedit voluntas, quæ pro libito imperat, vt hanc potius, quàm illam partem sequatur: paret intellectus, & putat se dicere verũ. Quod ergo actus elicitus in se sit verus, hoc omnino pendet ab obiecto, nec voluntas imperat, quod ille actus sit verus. Itē quod intellectus putet se dicere verũ, hoc etiam pendet à propositione obiecti sub specie veritatis. Quod autem putet se dicere verum hoc modo, cum potuisset putare se dicere verum, etiam opposito modo, pro quo apparet motiuum veritatis, hoc pendet à voluntate imperante, à qua à primo ad vltimum pendet, quod assentiatur, vel dissentiatur supposita specie veritatis pro vtraq; parte.

Hinc intellectus in dicendo verum, vel falsum non est liber; semper enim quantum est ex se, debet dicere uerum, est tamen liber ad hoc, vt ex duobus iudicijs, quorũ vtrumq; potest putare verũ, unũ prę alio putet, unum prę alio dicat, unum prę alio eliciat. Sic iudicium quidem vt in se sit verum, vel falsum pendet à causa necessaria nempe à conformitate cum obiecto; at verò, quod intellectus ex duobus veris apparentibus dicat vnum potius, quã aliud, hoc à causa libera scilicet à voluntate pendet. Quod igitur hoc iudicium hic, & nũc elicitum sit verum, ab obiecto solum pendet; quod intellectus dixerit, seu elicuerit, à voluntate; sicut quando voluntas sub specie boni liberè amat malum, quod amor ille re vera sit, vel non sit boni, hoc ab obiecto præcisè pendet, quod verò eliciatur à voluntate.

Vnde in forma, adhoc vt intellectus sit verus, vel falsus, seu dicat verum, vel falsum, pendet tantum ab obiecto.

obiecto. Distinguo, & explico hanc propositionem; adhoc vt actus intellectus, qui hic, & nunc elicitur, sit verus, vel falsus in re, pendet tantum ab obiecto, concedo; adhoc vt actus iste eliceretur, nego; pendet .n. etiam à voluntate. Debuisset ergo Candidus probare, quod intellectus in eliciendo actum, cuius veritas, vel falsitas pendet tantum ab obiecto, non sit liber. Liberum ergo est intellectui elicere actum; quod autem hic actus sit verus, vel non, ab obiecto pendet; sicut liberum est Deo creare hominem, vel Angelum; quod autem homo creatus habeat hæc prædicata, non pendet à voluntate Dei.

Concludo. Adhoc, vt intellectus assentiatur, vel dissentiatur, dicat propositionem obiectiuam esse veram, vel falsam, quando sunt motiua pro vtraq; parte, omni gaudet libertate; ad dicendum enim verum, vel falsum, siue ad eliciendum actum verum, vel falsum in re, quãtum spectat ad elicitionem vnius præ alio liber est; quia vtroq; modo putare potest dicere verum; quod autem actus, qui nunc elicitur sit in re verus ab obiecto tantum in esse rei dependet. Addo uerbum, veritas (idem dic de falsitate) est cõcretum ex tali essentia cognitionis & obiecto. Actus verus quoad existentiam suam est omninò liber, poterat enim non poni, & poterat oppositus poni; & hoc est, quod dicimus, dum dicimus liberum esse opinari; nec enim intendimus veritatem adæquate esse in nobis, vel in nostra potestate; unde intellectus siue dicendo uerum, siue falsum liberè agit, quia libere producit illam partem ueri, & illam partem falsi, quæ ad ipsum spectat, nempè talem actum in specie sic, uel sic repræsentantem obiectum.

Secundo. Retorqueo euidenter argumẽtum ad pro-

bandum, quod neque voluntas sit libera in operando: Voluntas in operando necessario respicit bonum reale, uel apparens, si amet; malum reale, uel apparens, si odio habeat. Sed in respiciendo bonum reale, uel aprens, malum reale, uel apparens non est libera; ergo amando, uel odio habendo non est libera. Maior est certa; minor probatur, quod actus à uoluntate elicitus sit circa bonum reale, uel apparens, circa malum reale, uel apparens, pendet solum ab obiecto in se realiter, uel apparenter bono, realiter, uel apparenter malo; nec enim uoluntas potest facere, quod obiectum in se sit realiter bonum, uel malum; ergo actus à uoluntate elicitus pendet tantum à causa necessaria, ergo necessarius est. Ecce argumentum Candidi Philalethi. Intellectus opinando necessario respicit obiectum siue ut est uerè in se, siue ut apparet (hoc est enim dicere uerum, uel falsum;) sed respicere hoc pacto non est liberum, quia dependet ab obiecto, quod in se sit uerè realiter tale, aut tantum apparenter; ergo opinando non est liber intellectus.

Ecce quantum probat argumentum; sicut ergo responderet Candidus, quod re uera, quod actus elicitus à uoluntate feratur in bonum reale, uel apparens, hoc non est liberum, sed ab essentia obiecti dependet; attamen quia iste actus potuit elici, uel alius oppositus, ideo est liber quoad specificationem; ita & nos quoad actus intellectus respondemus.

Cōfirmat Cādidus, si volumus imaginari verū, puta Socratē, vt est, non habemus libertatē ad imaginandū; ergo quia sēper volumus opinari verū, non habemus libertatē ad opinandū. Addit, iudiciū verū vno tantū modo se habere potest, nam res enunciata vno tantum modo se habet; sed hoc est necessarium, quia pendet

solum

solum ab obiecto, cui debet conformari; ergo quia intellectus opinando semper intendit dicere verum, opinando non erit liber.

Et hic etiam sumus in æquiuocatione, & fallacia; fit enim transitus à necessitate iudicij, quò ad veritatē, ad necessitatem iudicij quò ad ipsius productionem pręalio, & vna pro alia vsurpatur. Iudicium ergo, adhoc vt sit verum, non pendet à voluntate, sed ad hoc vt pręalio eliciatur; sicut amor ad hoc; ut sit boni realis, uel apparentis nō est liber; est tamen liber, vt producitur. Intellectus autē semper intendit dicere verū; & ideo, quādo intellectui tātum sub vna ratione proponitur obiectum, intellectus non est liber; at quando vtraque pars apparet vera, tunc intellectus alterutram eligendo sēper intendit dicere verum, quia vtraq; proponitur sub specie veri. Sic si figuræ Socratis haberemus varias effigies, & vtraq; haberet rationes validas, quibus probaretur fuisse vera Socratis, essemus liberi ad imaginandum verum, quia vtroque modò putaremus nos imaginari verum. Prolixius fortasse hoc argumentum dissolui, quia est Achilles Candidi Philalethi.

Secundum argumentum est. Non est assignabilis vlla ratio, cur modo assentiam potius, quàm dissentiam, vel dubitem, nisi quia motiua sic vrgent, sic mouent; ergo nostrum assentiri, vel dissentiri solum pendet à motiuis; sed hæc sunt causa necessaria, ergo assentiri, vel dissentiri non est liberum, quia pendet solum à causa necessaria. Vrget, qui iudicat, & non fingit, iudicat iuxta exigentiā, & motiua rei, quæ quia necessaria causa sunt, ideo pendet à causa necessaria; ergo non est liber.

Hoc argumentum nullius roboris est, quia quando motiua sunt ineuidentia, & pro vtraq; parte; tunc ratio, cur intellectus potius assentiatur, quam dissentiatur,

est

est sola voluntas; neque vero fingit, quia quemcumque actum eliciat, semper sequitur motiua, vel hæc, uel illa, quæ habet pro vtraq; parte; undè semper sequitur speciem ueri; fingere autem est ad libitum sine ullis motiuis componere, non uero est sequi potius hæc, quàm illa motiua, quando utraque ualida sunt.

Tertium est. Quicunq; opinatur, uerum dicit, quãtum potest; ergo se conformat obiecto, quantum potest; ergo sequitur omnino motionem obiecti: sed obiectum est causa necessaria, & necessario mouet; ergo sequitur causam necessariam, ac proinde qui opinatur necessario agit; aliàs si non se conformat obiecto mouenti, quantũ potest, fingit, quia sic non iudicat iuxta motiua obiecti.

Hoc argumentum etiã laborat æquiuocatione; quid enim est, intellectus dicit uerum, quantùm potest, se conformat obiecto quantũ potest. Significatne, quod intellectus opinando sequatur illam partem obiecti, quæ fortior apparet, quæ fortius mouet? de necessitate hoc est falsum, & hoc pacto non dicit uerum, quantum potest; potest enim intellectus pro libito sequi partem, quę minus est fortis, dummodo simpliciter sit fortis, & habeat rationẽ validam, in quo casu etiam putat se dicere verũ. Aut significatne, quod intellectus opinando sequatur verum, si non in re, & absolute, saltem in apprehensione, & motiuis, quantum est de se, hoc est semper necessario feratur in verum, si nõ potest reale, saltem putatum? hoc verum est, sed non contra nos; fatemur enim vltro intellectum semper sequi verum, si non potest in re, quia à falsis apparentijs decipitur: saltem putatum, & apparens ex validis motiuis, quod semper facit intellectus, etiam quando assentitur parti minus probabili, in illam enim fertur, quam valida de causa putat veram. De necessitate igitur sem-

per

per se conformat obiecto, quia semper iuxta motiua obiecti iudicat, nihil enim iudicat, ad quod non habeat motiuum ex parte obiecti; vnde nunquam fingit, quia motiua valida veritatis sequitur. Quod autem iudicet potius iuxta hęc, quàm illa motiua, in hoc vtriq; ab obiecto non pendet, sed à voluntate, nec se conformat obiecto, quantum potest in hoc sensu, quod in eam partẽ necessario feratur, quæ magis mouet, quia etiam alteram partem opinando putat se dicere verum, cum etiã pro ea parte sit motiuum validum veritatis, & vtraque pars simpliciter appareat vera.

Quartum est. Vnusquisq; opinatur prout res videtur vera, uel falsa; sed rem videri veram, uel falsam pendet à motiuis, quæ exprimunt independenter à voluntate; ergo opinari non pendet à voluntate.

In hoc etiam argumento est æquiuocatio in ly, videtur, ly enim, videri veram, potest habere duplicem sensum. Videri veram, hoc est apparere veram; videri veram, hoc est putari ueram. Quando enim dicimus, hoc mihi uidetur uerum, ut plurimum facit hunc sensum, ego puto rem sic se habere, in quo sensu coincidit cum assentiri rei, non quidem firmiter, sed cum formidine, quod est opinari. Ad argumentum igitur dico, quemlibet necessario opinari, prout rem putat ueram, uel falsam, implicat enim, quod opinetur, quin putet rem ueram, uel falsam esse, cum putare rem ueram, uel falsã sit ipsum opinari. Insuper quilibet de necessitate opinatur, prout res ipsi apparet uera simpliciter, non uero secundum magis, & minus; hoc est ad hoc, ut quis opinetur, necessario requiritur, quod obiectum sibi appareat simpliciter uerum, hoc est simpliciter habeat aliquod motiuum ueritatis; non uerò secundum magis, & minus, hoc est secundum quod res apparet magis, uel

minus

minus uera, quod est idem ac probabilis,& probabilior, quilibet de necessitate opinatur:hęc enim ꝓpositio falsa est, ut probatum est fusè *sect. praeced.* hinc ad minorē; Rem uideri ueram, uel falsam, hoc est apparere ueram, uel falsam pendet à motiuis, concedo. Videri ueram, uel falsam, hoc est putari veram, vel falsā, pendet à motiuis tantum, nego; quando enim sunt motiua valida pro vtraq; parte, requiritur etiam imperium voluntatis, ut una pars potiùs, quàm altera putetur uera.

Insuper ecce clare retorqueo argumentum; Vnusquisque eligit, prout obiectum proponitur bonum, uel malum, sed proponi bonum, uel malum, pendet à motiuis, non à uoluntate, ergo eligere non pendet à uoluntate. Ecce argumentum. Videas quantū probat.

Quintum est. Intellectus in iudicando se habet, ut statera, sed hæc ponderibus inclinatur necessario, ubi maius est pondus, ibi magis inclinat, ergo & intellectus. Maior probatur, quia sicut statera sequitur pondera, sic intellectus res, quibus debet conformari, quæ sunt independentes à uoluntate, ergo &c. Confirmatur intellectus in iudicando præcedit imperium uoluntatis, pręcipuè in actibus Prudentiæ, dirigit enim uoluntatem quò ad electionem, ergo necessario agit.

Resp. negando maiorem, & ad probationem nego paritatem, quæ enim similitudo rei liberę, & animatę, ad rem non liberam, & inanimem? eadem prorsus, quæ est lucis ad tenebras, Disparitas enim intrinseca est ex libertate intellectus, quando rationibus non conuincitur; res quidem de se habent tantum, uel maius, uel minus pondus independenter à uoluntate, de se tantum, magis, uel minus habent mouere: & in hoc conueniunt cum ponderibus staterae: statera autē illis mouetur necessa-

necessario, & conuincitur; secus intellectus, ut probatum est fusè. Addo retorquendo argumentum: statera ita ponderibus inclinatur necessario, ut illis positis non possit non inclinari, non modo in contrariam partem uergere; ergo intellectus, qui est statera positis motiuis non poterit non moueri, & sic tolletur ab intellectu libertas exercitij. Sequitur ergo statera pondera, intellectus res; sed diuersimode, hic liberè, illa necessario.

Melius vsus est exemplo stateræ doctissimus Io: Frāc. Picus *de Imagin.c.2.* qui stateram dicit obiectum, lances stateræ vtramque partem, pondera motiua, quibus utraq; pars munita est, quæ quidem partem afficiunt secundum quod magis, vel minus fortia sunt. Intellectus ergo opinando ille est, qui alterutram stateræ partem sequitur, media electione, seu imperio voluntatis. Ait enim, *opinatur autem anima, cum ex contrarijs ratiocinationibus anxia deligit, quamquam non sine formidine decernendæ falsitatis, in vtram oblatæ stateræ lancē sibi vergendum putet, vt veri notitiam consequatur.* Aduerte, ly *deligit*, quod sonat actum voluntatis; aduerte ly, *in vtram*, quod libertatem specificationis clarè ostendit.

Ad confirmationem dico, intellectum in iudicando non præcedere omnem actum voluntatis imperantis, sed solum actum voluntatis eligentis suum obiectum, seu imperantis potentijs executiuis: ad hoc enim, vt uoluntas aliquod bonum eligat, requiritur, quod prius intellectus illud bonum iudicet; Item ad hoc, vt voluntas potentijs executiuis, puta potentiæ motiuæ aliquid imperet, requiritur vtiq; quod præcedat imperium voluntatis actus intellectus proponentis bonum esse hic, & nunc potentiam executiuam hoc efficere; tamen

antequam intellectus iudicet hoc esse bonum, si sint motiua pro vtraq; parte valida, requiritur imperium voluntatis, quo determinetur ad alterutram partem; vndè est æquiuocatio ab vna specie actuum voluntatis ad omnes.

Sextum est. Motiua ad opinandum, vel sunt æqualia pro vtraq; parte, vel fortiora pro vna, quàm pro alia: si primum, intellectus non habet sufficientia motiua ad opinandum magis vnam partem, quam aliam; ergo vel non poterit opinari, vel si vni assenserit, erit hoc à voluntate, ac proinde non iuxta exigentiam rei, unde finget; si secundum, necessario mouebitur, quo sunt fortiora motiua, nec poterit inclinari ad alteram; quia non minus necessario mouetur intellectus in maxima inclinatione, quę prouenit à motiuo scientifico, quam in minori, quę prouenit à probabiliori, quia vtrumq; motiuũ mouet necessario, & independenter à voluntate; est enim tantũ pondus rationis, uel auctoritatis; ergo si in maxima inclinatione nequit intellectus moueri in contrariã partẽ, nequit etiã in minori. Sicut statera tàm necessario inclinatur simpliciter, adeo vt in oppositã partẽ flectere nequeat pondere magis, seu summè mouente, quàm minus mouente, dummodo cum excessu ad põdus partis oppositæ.

Confirmatur primo, quia secundum quod mouetur à voluntate, fingit quia secundum illud non mouetur à motiuis, ac proinde ab exigentia rei; sicut statera mota à manu, fingit non ponderat res.

Confirmatur secundo, quia pictor inquãtũ sequitur motionem voluntatis, & non exemplaris fingit, non retrahit; ergo intellectus, qui est pictor, in quantũ sequitur voluntatem non obiectum mouens, non opinatur, quod est retrahere, sed fingit.

Confir-

Confirmatur tertio. Res, quę in contraria mouetur, in illam simpliciter partem mouetur, ubi fortius est mouens; ergo intellectus simpliciter mouetur in magis probabilem; quod si oppositam partem opinetur, iam fingit.

In hoc argumento multæ miscentur æquiuocationes. Breuiter dico, semper liberum esse opinari, siue motiua vtriusq; partis sint ęqualia, siue inęqualia. Ad probationem primę partis; aliud est, quod positis ęqualibus motiuis intellectus non habeat sufficiens motiuũ ad opinandum vnam partem magis, quàm aliam, quantum est ex parte obiecti; aliud verò, quod ex parte obiecti non habeat sufficiens motiuum ad opinandum, tàm vnam partem, quàm aliam, vtramq; æqualiter disiunctiuè. Primum est verum, secundum falsum. Non enim debent hæc duo confundi, & pro eodem vsurpari; licet ergo intellectus positis æqualibus rationibus pro vtraq; parte non habeat motiuum sufficiens ad magis opinandam vnam partem, quam alteram, quia motiua supponuntur æqualia, & vnum non magis inductiuum, quàm aliud; tamen potest simpliciter vtramque disiunctiuè opinari, quia ad opinandum vtramq; disiunctiuè habet motiua sufficiẽtia. Quia autẽ nõ habet motiuum magis inductiuum ad vnam, quàm ad alteram partem, ideo requiritur voluntas, quæ determinet indifferentiam intellectus, quam non vincunt motiua. Neque vero fingit, quia semper iuxta exigentiam rei iudicat; nam pars illa, quæ eligitur, habet pro se sufficientia motiua ex parte rei, ex quibus exigitur.

Ad probationem secundæ partis dico, esse æquiuocationem maximè notandam in præsenti materia, in ly, intellectum moueri; nam potest habere puram significationem passiuam, & sic significare puram effi-

caciã ex parte motiui mouentis, quod alliciat; vel etiã significare actiuè aliquẽ motũ intellectus, quo moueatur, assentiat, vel dissentiat. Si primus sensus intendatur; fateor æqualiter necessario intellectũ moueri à motiuo scientifico sũmè inclinante, ac à motiuo probabiliori, minus inclinãte; sic .n. fit sensus, quod efficacia vtriusq; motiui est necessaria, & virtus in actu primo ipsorum à voluntate non depẽdeat; alliciunt enim ex parte sua necessario. Quia autem ad necessitãdum intellectum non sufficit, quod efficacia trahentis sit necessaria, sed requiritur, quod sit tanta vis, vt valeat cogere; ideo motiuum scientificum necessario inclinat, magis probabile etiã; sed scientificum necessitat, quia maioris roboris; magis probabile tantùm allicit, quia minoris, & huic potest intellectus dissentiri; quia licet, quantum est de se necessario alliciat, non tamen cogit, quia nõ est tanti roboris; in quo sensu etiã motiuum minus probabile necessario mouet. Si vero intendatur secũdus sensus in ly, moueri, negandum est æqualiter necessario moueri intellectũ à motiuo scientifico, & opinabili, quantumcunq; probabiliori; quia licet vtrumq; necessario faciat, quantum potest, vnũ vincit indifferentiã intellectus, quia maioris roboris, alterum, quia minoris non vincit, vnde requiritur determinatio voluntatis ad illam vincendam, & faciendum, quod intellectus actiuè se moueat. Exẽplum staterae non est ad rẽ, quia cum illa nullo pacto sit indifferens, necessario positiuè mouetur à quocumque pondere, non autem merè allicitur.

Ad primam confirmationem dico, quod intellectus in eo, quod sequitur imperium voluntatis, non fingit, non enim voluntas trahit intellectum extra exigentiã obiecti simpliciter; illa enim pars, quam intellectus ex imperio voluntatis sequitur, ab obiecto exigitur; pro ea

enim

enim sunt ex parte obiecti simpliciter valida motiua. Et hinc est disparitas ad stateram, quia in quantum mouetur à manu, excedit exigentiam ponderis, & fertur extra illam, nullo enim pacto tanta, vel illa inclinatio à pondere exigitur.

Ad secundam retorqueo exemplum. Si proponantur Pictori Cæsarem picturo duæ imagines diuersæ figuræ, & lineamentorum, quarum vtraq; dicatur esse naturalis Cæsaris cum maximo fundamento, siue çquali ex vtraque parte, siue maiori ex vna quàm ex alia, Pictor, qui profecto potest eligere alterutram, diceturne fingere in hoc, quod sequitur motionẽ volũtatis in eligenda, & retrahẽda vna præ alia? nequaquã. Quia sẽper se conformat imaginibus, quæ ipsi sunt exẽplaria; fingeret autem solum, si aliquid poneret in pictura pro libito, quod non esset in obiecto seu imagine, quam retrahit. Sic ergo intellectus fingeret quidem, si exprimeret aliquid, ad quod motiuum non haberet: cçterum quando obiectũ duplici veluti imagine sui mouet, quod vnam sequatur potius, quam aliam, non fingit, exprimit enim solum illud, quod relucet ex parte obiecti, licet ex duobus, quæ relucent, eligat illud, quod voluntas imperat.

Ad tertiam loquendo de motione obiectiua falsum est antecedens, vt patet exemplo voluntatis, quam propositis duobus bonis inçqualibus mouet non solum fortius, sed etiam debilius, quod quandoq; sequitur; quo quidem exemplo voluntatis retorquetur argumentum principale sic. Proposito obiecto sub omnimoda ratione boni voluntas non est libera ad partem oppositam; ergo neque proposito maiori bono est libera ad minus bonum; patet consequentia, quia vtrumq; mouet secũdum suam efficaciam independenter à voluntate. Quid respondebis? profecto vt supra. Sic

Sic si fieret argumentum hoc pacto; sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed intellectus necessario mouetur à motiuis simpliciter; ergo & à maioribus motiuis, & fortioribus; responderem negando consequentiam, quia intellectus ideo non potest ferri in vnam partem sine motiuo simpliciter, quia nequit ferri extra obiectum suum, quod est verum, vnde à motiuis simpliciter verè dependet; non vero à fortioribus, quia per hoc, quod illa non sequatur, non proinde extrahitur extra suum obiectum. Etiam enim pro parte opposita sunt motiua simpliciter valida, ac proinde ratio veri; quæ quidem responsio etiam debet dari, si argumentum applicaretur voluntati.

Septimum est. Neq; quando vtraq; est æquè probabilis possumus liberè opinari; ergo multò minus &c. Antecedens probatur; cum duorum neutrum maius signum habet, vel argumentum sui, tunc si vnius fiat electio, forte fit, vt patet, cum duæ paleæ paris longitudinis à digitis extrahuntur, ergo &c. Confirmatur, quis in biuio constitutus, quærens viam, si à duobus paris auctoritatis ei respondeatur contrarium, ridiculum est dicere, quod ex hoc pręcisè possit viam eligere, solum enim poterit dubitare; ergo &c.

Resp. negando antecedens. Ad probationẽ dico, quando duorum eligendorum neutrum habet non modo maius signum præ alio, sed neq; simpliciter vllũ signum pro se, vi cuius reddatur eligibile, tunc re vera electio fit sorte; at verò quando duo eligibilia habent pro se vnumquodq; signa sufficientia, vi quorum simpliciter eligantur, licet neutrum aliud superet, tunc electio sorte non fit, sed ratione; quælibet enim pars, quæ eligatur, habet pro se motiua sufficientia, ui quorũ prudenter eligatur. Exemplum de paleis non est ad rem,

una

vna enim palea non modo non habet signum maius alia, sed neque simpliciter vllum signum, vel argumētum sui, in quo casu fateor, quod non est liberum opinari, & tunc intellectus fingit; quando verò vtraque pars est ęquè probabilis, vtraque simpliciter habet motiua valida, & argumenta sui, licet non maiora altera.

Ad confirmationē dico gratis asseri, hoc esse ridiculum, ex hoc enim sufficienter potest quilibet quam voluerit viam amplecti, & prudenter dicetur amplexus fuisse; quia cum sufficienti fundamento viam aggressus est, si auctoritas prædictorum esset talis, vt faceret eorum dictum probabile.

Octauum est. Si liberum esset opinari, posset quis in dubio sine vlla ratione tollente dubium, quidquid libet opinari, & illud sequi in praxi: hoc est cōtra Theologos omnes, ergo &c. sequela probatur, quia cum vtraque pars habet vnum, vel alterum argumentum probabile, liberum est opinari, & sequi vtramque; sed tunc sumus in dubio sine vlla ratione tollente dubium, sicut quando nulla ratio probabilis pro vtraque parte suppetit; quia duarum rationū æqualiter in contrariū mouentiū, neutra simpliciter mouet, vt patet in duobus æquè in diuersa trahentibus pondus, quod nullo pacto mouetur; ergo tunc adhuc sumus in dubio, & intellectus perinde se habet, ac si nullas rationes haberet, quia neutra illum mouet; ergo à fortiori idem valet, quando vna pars est probabilior: tunc enim non potest intellectus opinari oppositam, quia ab illa simpliciter non mouetur; nec habet rationes pro illa, quia licet habeat, illæ non mouent; ac proinde perinde est ac si non essent, quia tunc solum mouent fortiores. Sicut si pondus in diuersa trahatur à duobus, quorum alter sit fortior, solum ab hoc simpliciter trahitur.

Ad

Ad hoc argumentũ patet responsio ex dictis ad secũdũ; scilicet dico rationes ęquè probabiles cõcurrẽtes simpliciter mouere, licet vnam non magis alia; item & minus probabiles etiam concurrentes cum probabilioribus mouere, vt patet expresſè in voluntate, quam ęqualia bona mouent, & minus bonum, etiam in comparatione, seu cõcurrendo cum maiori bono mouet. Exemplum de pondere non est ad rem, sicut neq; erat exemplum de statera, supra allatum; eadem ratione; videantur dicta ad quintum, & sextum; undè iam tollitur dubium; postquam enim quis indicat de re ob motiua valida, quibus simpliciter mouetur, dubius nõ remanet. Prȩterea argumentum non est ad rem, quia dubium, quod debet tolli ad honestam operationem eliciendam, est dubium practicum circa electionem, nõ speculatiuum, quod quidem dubium practicum tollitur, non per hoc, quod quis assentiatur, seu opinetur materiam electionis esse honestam, hoc enim non requiritur; sed solum per hoc, quod euidenter iudicet materiam esse probabiliter honestam; seu dari opiniõnem probabilem de honestate materiæ iuxta dicta fusè *disp. p. sect.* 5.

Nonum est. Si liberum est opinari, ergo possumus prolibito facere ex fide, quod non est ex fide, illi assẽtiendo, illi fidẽ habendo; ac proinde possumus licitè dicere bonum, malum, & è contra; quod est absurdũ. Sequela probatur, quia minus probabile non est simpliciter ex fide, habet enim plura motiua falsitatis, quam veritatis, plura motiua facientia, quod ipsi non credatur, quam quod credatur; sicut ille profecto est potius infidus quàm fidelis, qui profert argumenta sui potius probantia, quod non sit fidelis; sed liberum est opinari minus probabile: per hoc autem, quod opinatur

tur, fit ex fide; ergo pro libito possumus facere ex fide; quod non est. Idem valet de æquè probabili, quod sit malum, & bonum; ergo, &c.

Resp. Minus probabile simpliciter esse ex fide, quia simpliciter habet motiua valida suæ veritatis, cui proinde prudenter potest fides adhiberi; licet enim habeat plura, & fortiora motiua in contrarium, hoc non obstat; quia non per hoc hæc motiua veritatis amittunt suam vim, adhuc enim remanent magni ponderis, & opposita, licet fortiora non conuincunt: vndè omnibus pensatis etiam simpliciter facit fidem sui; quia ex hoc, quod etiam pensatis motiuis in contrarium, non detrahitur efficaciæ suorum motiuorum, quæ adhuc remanent valida, potest per consequens eis fides adhiberi. Idem dic de homine, qui profert argumenta sui magis probantia, quod sit infidus, quàm fidelis; si enim argumenta suæ fidelitatis sunt simpliciter fortia, nec eorum efficacia deperdatur ex argumentis in contrariũ, adhuc ei prudenter potest fides adhiberi, cum possit esse, quod non mentiatur, & in eo casu sit simpliciter validum fundamentum, quod non mentiatur, & rationes in contrarium non conuincant eum mendacij. Idem dicas à fortiori, quando partes sunt æquè probabiles.

Decimum, & vltimum est. Vel intellectus omnibus perpensis assentitur opinando alterutri parti, vel neutri, vel vtrique; si primum, ergo iam non potest opinari oppositam; nequit enim vtramque opinari veram; si secundum, ergo non opinatur, sed dubitat; tertium dici nequit, quia vtraq; non potest iudicari vera; ergo nunquam liberum est opinari.

Hoc argumentum nullum est; dico enim, quod assẽtitur liberè alterutri parti; ergo nequit opinari oppositam

tam,in sensu cõposito cum primo assensu, concedo; in sensu diuiso,nego; sicut enim liberè opinatus est illam esse veram, sic potest illam opinari falsam, & per consequens veram oppositam, cum habeat motiua sufficientia ad vtrumque actum.

Quin & retorquetur argumentum, in voluntate. Vel voluntas omnibus perpensis amat, vel odio habet obiectum, vel vtrumque efficit, vel neutrum; si primum, puta, amat, ergo nequit odio habere, nequit enim idem obiectum amari, & odio haberi; si secundum,hoc quoque est impossibile; si tertium, ergo manet suspensa, ergo voluntas non erit libera ad amandũ, vel odio habendum. Ecce quantum probat argumentũ.

Dices. Ex hoc ipso, quod assentior vni propositioni, illa mihi est vera, non modo probabilior; ergo implicat in adiecto dicere, me opinari posse partem minus probabilem.

Resp. Negando antecedens, quia possum iudicare propositionem veram, & tamen euidenter cognoscere, quod habet pro se motiua minus fortia,quam opposita: neq; in hoc vlla est implicantia; vndè erit mihi vera, non autem probabilior.

Ex his igitur patet satis manifestè conclusum, liberũ esse opinari; item pro libito modo opinari hanc partem, modò illam, dummodo sint motiua valida pro vtraque parte; ac proinde potest, & probabilis concurrens cum probabiliori, & æquè probabili gignere assensum: vndè remanet simpliciter probabilis; quod erat ostendendum pro responsione ad vltimum argumentum sect. 3.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Quod iudicium possit formare intellectus de vtraque contradictoria in sensu composito.

Breuiter sit.

Conclusio Prima.

NOn potest intellectus vtramque contradictoriam simul iudicare veram, seu eidem obiecto simul assentiri, & dissentiri, saltem naturaliter. Est multorum, quos citat, & sequitur Candidus *q.* 3. vbi acutè ostēdit eos, qui oppositum visi sunt sentire, equiuocatione laborare. Procedit nostra conclusio ex quibuscumq; motiuis siuè intrinsecis, siuè extrinsecis. Dixi saltem naturaliter, quia an etiam per Dei potentiam nequeat intellectus eidem obiecto assentiri simul, & dissentiri, est quæstio, quæ resoluitur in libris de anima, & non facit ad præsens institutum.

Prob. autem conclusio primo à Candido, quia nulla res nec per diuersa media potest esse simul, & non esse; ergo neq; per diuersa media simul iudicari, quod sit, & quod non sit: ac proinde nequit intellectus simul vtramque contradictoriam opinari.

Verùm hæc ratio fortasse non subsistit, negabitur enim consequentia, quod enim à parte rei impossibile est, quod aliquo pacto sit, potest iudicari ab intellectu eodem pacto esse: quia potest intellectui apparere quale non est, nec esse potest. Sic Deus à parte rei nequit esse nisi trinus, & vnus, & tamen potest iudicari, & de facto ab hæretico iudicatur non esse talis; & ratio est à priori, quia adhoc, quod intellectus iudicet, non quæritur, qualis res sit, vel esse possit, sed qualis apparet, vel apparere pòtest: non potest autem res esse, & non esse, potest tamen apparere esse, & apparere non esse

per diuersa motiua, siuè intrinseca, siuè extrinseca; contradictoria enim non sunt apparere esse, & apparere non esse, sicut esse, & non esse. Etiam si ergo res nequeat simul esse, & non esse, poterit tamen simul iudicari, quod sit, & quod non sit. Melius ergo.

Probatur secundo, quia cognoscit intellectus impossibile esse, quod vtraq; contradictoria sit vera; ergo nequit vtramq; iudicare veram. Antecedens est clarum, quia euidens est intellectui, & vnum ex primis principijs, alterum ex contradictorijs esse falsum. Consequentia est etiam euidens, quia vtramq; contradictoriam esse veram est intellectui euidenter falsum, quia nequit hoc iudicare; nequit enim falso euidenti intellectus assentiri. Vrgeo, cognoscit intellectus euidenter falsum esse, quod vtraq; contradictoria sit vera; ergo dicit vtramq; contradictoriam nō esse veram: quomodo ergo potest dicere vtramq; esse veram, seù vtrique assentiri? Insto, vel intellectus habet sufficientes rationes ad opinandū, quod vtraque collectiuè sit vera, vel non. Si secundū, ergo quomodo poterit opinari vtramq; veram; si primum, ergo non est euidens intellectui falsum esse, quod vtraq; contradictoria sit vera, quod est impossibile.

Probatur tertio. Licet re vera assensus, & dissensus non sint contradictorij, vterq; enim actus positiuus est, tamen ad minus sunt contrarij, habent enim summam oppositionem, quam possint habere; & certè cum ex oppositione obiectorum resultet oppositio inter actus, oppositio contradictoria, quæ est inter obiecta assensus, & dissensus, ad minus oppositionem contrariam refundit in actus; ergo non poterunt esse simul in eadem potentia. Contraria enim ad minus naturaliter simul esse non possunt. Addo, ex assensu nonne connaturaliter sequitur in potentia negatio dissensus, & è

contra?

contra? ergo naturaliter non potest potentia elicere dissensum; absit enim, quod quando in subiecto connaturaliter debet esse vnum contradictorium, connaturaliter etiam sequatur aliud. Rogo enim, connaturaliter posito assensu debet esse negatio dissensus, nonne? ergo non debet esse dissensus. Quomodo ergo connaturaliter erit dissensus, qui naturaliter non debet esse? Igitur non poterit intellectus naturaliter simul eidem obiecto assentiri, & dissentiri, seù vtramque contradictoriam opinari.

Neq; valet recurrere ad diuersa media, dicendo posse intellectum vtramq; contradictoriam opinari ex diuersis motiuis: puta opinari, quod sic ex motiuis intrinsecis; opinari vero quod non ex motiuis extrinsecis, hoc est ex aliorum auctoritate.

Hoc enim nihil est, quia diuersitas motiuorum nō tollit repugnantiam, & incompossibilitatem horum actuum, nec facit quo minus intellectus euidenter iudicet falsum esse, quod vtraq; propositio contradictoria sit vera; ergo non tollit impossibilitatem componēdi simul assensum cū dissensu; Addo, quod si intellectus posset per intrinseca vnam partem, & per extrinseca alteram partem opinari simul, etiam vtramque posset opinari per intrinseca: dari enim possunt, & de facto dantur motiua intrinseca pro vtraq; parte.

Sed hinc dices. Intellectus habet sufficiētes rationes pro vtraq; contradictoria; ergo vtramq; poterit opinari.

Resp. Intellectū vere simul pro eodem instanti habere motiua sufficientia ad vtramq; partem opinandam non collectiuè, sed distributiuè. Ad opinandum enim vtramq; partem nullum habet, nec habere potest motiuum; non enim datur motiuum ad impossibile, & intellectus euidenter cognoscit vtramq; non esse

opina-

opinabilem simul, nec putabilem veram; distributiuè tamen vtique; habet siquidem pro eodem signo motiua, habet tàm pro vna parte, quam pro alia, vndè alterutram potest opinari, & amplecti; vndè hæc propositio, intellectus habet simul sufficientes rationes ad opinandam vtramq; contradictoriam, distinguenda est; si ly simul se tenet ex parte verbi, habet, vera est, rationes enim pro vtraq; parte habet intellectus simul; si verò ex parte, ad opinandum, falsa est.

Contra hanc conclusionem nulla potest esse obiectio alicuius momenti, & Doctores, qui adducuntur à Candido oppositum sensisse, æquiuocant, pro eodem sumentes assentiri vtrique contradictoriæ, & vtramq; contradictoriam probabilem iudicare: quæ sunt duo toto Cælo diuersa. Dicunt intellectum posse vtramque contradictoriam opinari; & postea eorum argumenta concludunt posse intellectũ vtramque contradictoriam iudicare probabilem. Legatur Candidus, qui acutè eos impugnat.

Conclusio Secunda.

VTramque contradictoriam potest intellectus iudicare probabilem, quin vnam veram, & alteram probabilem. Est communis, & quoad primam partem:

Prob. primo quia, vtraque contradictoria verè collectiuè est probabilis, vtraque enim habet fundamentum sufficiens veritatis, motiua valida, & speciem veri, vtraque apparet intellectui vera, in sensu composito; ergo poterit vtraq; iudicari probabilis: id enim, quod est, vtique iudicari potest; etiamsi enim alterutra ex contradictorijs debeat esse falsa, adhuc tamen illa, quæ est falsa, potest esse probabilis, quin multa falsa sunt

pro-

probabiliora veris: neque enim probabilitas vnius pugnat cum probabilitate alterius, sicut veritas vnius cum veritate alterius. E.G. hęc propositio, Cābiũ recursæ est licitum, pugnat vtiq; cum hac, Cambium recursæ non est licitum; at vero hæc, Probabile est cambiũ recursæ esse licitũ, non pugnat cum hac, probabile est cambiũ recursę non esse licitum. Pugnaret quidem cum hac, Non est probabile cambiũ recursæ esse licitũ; & ratio est, quia in modalibus non est oppositio, nisi cum in alterutra propositione negatur modus. Quò ad secundam item partem Conclusio facile.

Prob. secundo quia, in sensu composito, cum iudicio probabili de quo loquor, quod vna contradictoria sit vera, altera remanet cum firmo fundamento, & ratione veritatis, & adhuc apparet vera, licet non iudicetur esse talis; ergo remanet probabilis, ac proinde talis poterit iudicari; ad summum enim, quid erit amplius, quam implicitè, seu explicitè probabiliter tantum iudicata falsa? cum hoc autem stat eius probabilitas, vt probatum est fusè in hac *disp.* 2. *sect.* 2.

Dices. Vtraq; cõtradictoria non potest esse vera; ergo nequit collectiuè vtraq; esse probabilis.

Resp. negando consequentiam; quia probabile non dicit posse esse verum, etiam enim falsa, ac proinde impossibilia ad esse vera, sunt probabilia quandoque, quin & probabiliora veris. Quid ergo dicit probabile? solum apparere verum, cum firmo fundamento: vtraque autem contradictoria simul apparet vera, simul habet firmum fundamentum; ideo, &c.

Hic autem benè aduertas necesse est, quod dum dicitur, quod simul cum fundamento valido vtraq; contradictoria apparet vera, non est sensus, quod intellectus habeat ualidum fundamẽtum ad putandum, quod

collectiuè vtraq; contradictoria sit vera; hoc enim est impossibile:cum intellectus sciat euidenter,quod vtraq; contradictoria collectiuè non est vera; sed solum sensus est, quod intellectus simul habet fundamentum validum pro vna, & altera contradictoria, tàm pro vna, quam pro altera, ad vnam siue alteram putandam veram; vndè intellectus non habet fundamentum, quod vtriusque contradictoriæ veritatem collectiuè ostendat, sed habet plura fundamenta, & quidem simul, quorum vnum ostendit veritatem vnius, alterum alterius: quæ fundamenta sunt simul, & pro eodem signo vtrumque afficit suam propositionem; vndè vtraque propositio, quia simul affecta suo fundamento, vtraq; simul est probabilis. Nõ est tamẽ probabile,quod vtraq; collectiuè sit vera; quia nullum fundamẽtum in vtrãq; propositionem collectiuè veritatem refundit, sed vnũ in vnam, alterum in alteram; quæ tantum abest,quod vtramq; respiciant, quod vnum quodq; suam firmat propositionem, oppositam destruit. Vnde verę sunt hæ propositiones, Vtraq;contradictoria est probabilis, & hæc,Probabile non est, quod vtraque contradictoria sit vera,collectiuè loquendo, sed solum disiunctiuè. Et ratio est, quia prima affirmat probabilitatem, quæ simul potest inesse duabus contradictorijs, secunda, veritatem, quæ duabus contradictorijs collectiuè nequit inesse. His diligenter adnotatis, sit.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

De honesta electione opinionis probabilis seu materiæ probabiliter opinatæ.

HActenus speculatiuas difficultates, speculatiuè fortasse nimium attigimus; nunc ad practicas, quarum gratia hoc opusculum institutum est, descendimus; sic enim quod est primum in intentione, vltimum in executione plerumq; est. Et sanè necessarium fuit illas præmittere; in his enim erant explicanda principia, hactenus à Doctoribus parùm elucidata, ne dicam omissa, ex quibus præsentis disputationis difficultates dirimuntur.

SECTIO PRIMA.

Recoluntur nonnulla in præcedentibus disputationibus stabilita.

REcolendum primo est, quod tota honestas operationum moralium, quæ requiritur ad agendum sine peccato, formaliter consistit in actione intrinsecã voluntatis; siue hæc sit actio, qua voluntas propriè agit, dùm amat, vel odio habet; vel electio, qua ex duobus bonis vnum eligit; vel imperium, quo potẽtijs executiuis aliquid imperat. Omnes enim alij actus à voluntate, sicut formaliter nec liberi, nec meritorij sunt, sed solum denominatiuè: sic solum denominatiuè, in se verò ad summum materialiter sunt honesti, vel inhonesti, mali vel boni. Supra hos autem actus voluntatis immediate cadit Prudentia regulando; & hi quidem si sint recti, omnes etiam, siuè præcedentes, siuè subsequentes recti sunt, & è contra; vndè pecca-

tum propriè, & per ſe in inhoneſtate horum actuum voluntatis, non verò in quibuſcumq; alijs conſiſtit.

Recolendum ſecundo, honeſtatem formalem actuū voluntatis per ſe oriri ex honeſtate materiæ, ſeu obiecti, circa quod verſantur. Sub nomine autem obiecti, & materiæ veniunt etiam operationes illę, quas voluntas eligit; licet enim, & ipſæ operationes ſint, reſpectu tamen actuum voluntatis, qui antonomaſticè actiones ſunt, ſunt obiectum, & materia. Deſumitur autem honeſtas actuum voluntatis, non ab honeſtate materię, ſeù obiecti in eſſe rei, ſeù per cognitionem euidentem, ſeù veram propoſita: contingit enim actionem voluntatis eſſe honeſtam, & à Prudentia regulatam, etiamſi materia ſit inhoneſta; ſed deſumitur ex hoc, quod materia, quæ eligitur, facta ſufficienti diligentia cum ſufficienti fundamento proponatur honeſta; quod fundamentum, quia in moralibus euidens eſſe non poteſt, ſufficit quod ſi tale, quod reddat propoſitionem probabilem, ſeù materiam probabiliter honeſtam.

Recolendum tertio, ad honeſtè agendum ſine peccato requiri certitudinem, & euidentiam de honeſtate actionis; dico actionis, non materiæ, ſeù obiecti actionis; poteſt enim hæc certitudo haberi; nam poteſt haberi euidentia, quod materia, ſeu obiectum (quo nomine etiam comprehendo operationes, quæ eliguntur) ſit probabiliter honeſtum; hoc eſt, quod detur verè probabilis opinio, etiam ipſi eligenti probabilis, quod materia ſit honeſta, & hæc debet euidentia haberi. Ex hoc autem, quod materia ſit probabiliter honeſta, ſequitur euidenter, quod actio ſit formaliter in ſe, & per ſe honeſta; ergo eius honeſtas non ex honeſtate materiæ in ſe, ſed ex probabilitate honeſtatis deſumitur. Vndè dubitabit quidem prudenter operans de honeſtate materiæ

riæ electæ: at erit certus de honestate suæ actionis; sic qui eligit Cambium recursę, de honestate Cambij formidat, quia tantum probabiliter est conscius de illa; at verò de honestate suæ actionis non formidat, sed est certissimus.

Distinguenda sunt igitur attentè hęc duo, materia operis, & ipsum opus; electio ipsa voluntatis, in qua formaliter honestas, & peccatum consistit; & obiectũ ipsius, seù id, quod eligitur. Ad agendum honestè, & sine peccato requiritur certitudo, & euidentia de honestate actionis, quæ certitudo constituit Prudentiam virtutem intellectualem; quoad materiam autẽ actionis, requiritur euidentia, quod sit probabiliter honesta; vndè non sufficit iudicium probabile de honestate actionis in se, & per se, nec iudicium certum de honestate actionis per accidens; sed requiritur iudicium certum, & euidentia de honestate actionis in se, & per se formaliter; sufficit autem probabilis opinio verè de honestate materiæ, ex qua sequitur certitudo de honestate actionis.

Recolendum quarto, multò minus licere agere cum dubio practico, seù circa honestatem actionis, quando non licet agere cum iudicio probabili circa eamdem. Debet ergo omnino deponi dubium, quod deponitur, non per hoc, q iudicetur materia honesta in se, sed per hoc solum, quod sit euidens eligenti, quod materia sit probabiliter honesta, hoc est dari opinionem verè probabilem de honestate materiæ. Vndè ad hoc, vt tollatur dubium practicum, non requiritur, quod tollatur dubium speculatiuum circa honestatem materiæ; sed etiam intellectu dubitante formaliter, an materia sit honesta, ex rationibus hinc, & inde verè probabilibus, tollitur sufficienter dubium practicum, quia cum hac

ambiguitate ſtat euidentia, quod ſit probabile materiã eſſe honeſtam; & licet cũ hoc ſit etiam probabile materiam eſſe illicitam, hoc nihil refert, quin poſſit eligi, & actio ſit certò licita; quia probabilitas honeſtatis honeſtat actionem, quæ probabilitas non tollitur per probabilitatem inhoneſtatis, & aliunde euidentia non poteſt haberi. Vnde cum dubio de licito, & illicito circa materiam actionis ſtat euidentia, quod actio ſit licita, quia honeſtas actionis non oritur à iudicio, quod materia ſit licita, & multo minus ab eo, quod materia ſit licita in ſe; ſed ſolum ab eo, quod ſit probabile materiã eſſe licitam; quod profectò ſubſiſtit cum ambiguitate, de qua in præſenti. Et hęc omnia probata ſunt fusè *d. p. per totam.* Quid autem ſit opinio verè probabilis, & quæ requirantur ad eam conſtituendam, dictum eſt fusè *d. ſecunda*; vnde iam ſit.

SECTIO SECVNDA.

An agens licitè operetur, & ſine peccato, ex hoc præcisè quod eligat materiam, cuius honeſtas ſibi euidenter probabilis eſt.

HÆC quæſtio ſolet ſub alijs terminis proponi, an licitum ſit ſequi opinionem quamcumque, dummodò probabilis ſit; quod idem eſt, nõ aliter enim ſequimur opinionem, niſi eligendo materiam, ſeu obiectum opinionis. Et quidem communiſſima, ſi Recentiores attendas, ſententia affirmat, prudenter agere, & ſine peccato eum, qui cum opinione dummodò probabilis ſit, operatur. Ex recentioribus ſolus negat Candidus Philalethus *in ſua diſputat. ſect. 4.* Cum communi ſententia ſit,

Concluſio

Conclusio vnica.

PRobabilitas simpliciter de honestate materiæ eligendæ reddit electionem, seu actum voluntatis certò, & infallibiliter honestum. Sumo probabilitatem simpliciter pro apparentia veritatis, facta sufficienti diligentia cum valido, & firmo fundamento, prout explicaui *d. 2. sect. 1. & sequentibus.*

Probatur primo à priori, quia honestas actus voluntatis non potest desumi, nec ab honestate obiecti, seù materiæ in esse rei, nec à veritate propositionis, vt ostensum est; ergo ex hoc, quod cum firmo, & valido fundamento, materia proponatur honesta; quod est idem ac dicere cum probabilitate honestatis. Consequētia patet, quia, quæ alia causa potest assignari refundens honestatem in actus voluntatis? non iudicium, quod materia sit honesta in se, hoc enim non requiritur, vt probatum est *d. 1. sect. 5.* nec maior probabilitas, quà maior, quia maior probabilitas quà maior non potest esse in diuersa specie, à probabilitate simpliciter; iuxta principium commune, quod magis, & minus non variat speciem; ergo maior probabilitas non potest esse in specie formę per se honestantis actus voluntatis, in qua non sit probabilitas simpliciter.

Neque dicas illud axioma valere tantum in metaphisicis. In primis enim debebis assignare rationem, & disparitatem, quare non valeat in moralibus; deinde ostendo, quod valeat etiam in moralibus. Nam quia magis subuenire indigenti per se cohonestat actū in specie eleemosinæ: minus subuenire, & simpliciter subuenire non extrahit actum à specie eleemosinæ; quia cultus Dei maximus per se intentus constituit actum religionis: simplex, vel minor cultus non extrahit

hit actum à specie religionis;ergo similiter,si magis probabile cohonestat actum in specie Prudentiæ, etiam minus probabile, & probabile simpliciter id efficiet.

Secundo quia,actus Prudentiæ non desumitur ex eo, quod quis semper sequatur omnino tutum: sed ex eo,quod quis sequatur probabile; qui enim semper omnino tuta sequi vellent, ridiculi fierent; vt communiter D.D. qui nemine refragante fatentur prudenter operari, qui omissa tutiori probabiliorem partem sequitur; igitur honestas Prudentiæ non ex eo,quod materia sit tuta, sed ex probabilitate desumitur; modo sic; qui sequitur tutiorem probabilem relicta probabiliori minus tuta, prudenterne agit, an imprudenter? si primum,ergo minor probabilitas cohonestat actionem, etiam concurrendo cum maiori probabilitate,quod intendimus,ac proinde probabilitas simpliciter actionem honestat. Si secundum,igitur cum opinio obligans ad statim confitendum post peccatum, habita copia confessarij, & opportunitate sit minus probabilis: peccabit peccato imprudentiæ,qui statim post peccatum cōfitebitur; quod profecto absurdum est. Et sane hoc,quod est operari imprudenter,qui eligit minus probabilem tutiorem, videtur nimis audacter dictum, & fortè non facile tolerandum. Sed hoc iudicent viri docti.

Neque dicas minorem probabilitatem compensari ex hoc, quod sit tutior, quæ proinde formalitas cohonestat actionem. Contra enim est, quia actus in specie Prudentiæ non cohonestatur nisi à formalitate,quę per se respicitur à Prudentia in obiectis eligendis; sed Prudentia ad eligendum non respicit in obiecto rationem tuti, sed honesti, quod honestum desumitur ex rationibus illud licitum proponentibus; quæ probabile constituunt; ergo à ratione probabilis non tuti constituitur

tuitur

tuitur actus in specie Prudentiæ; ergo ratio tuti cum, sit impertinens ad Prudentiam, non potest in actum refundere honestatem Prudentiæ.

Vrgeo. Probabilius est E.G. licere cambium recursę: minus probabile, sed tamen magis tutum, immo simpliciter tutum non licere. Qui eligit omissionem cambij recursæ, peccatne peccato imprudentiæ? certè nequaquam. Demus, quod nullo pacto esset probabile non licere cambium recursæ, qui eligeret omissionem cambij recursæ, peccaretne peccato imprudētiæ. Vtiq; & tamen eligeret partem tutam. Igitur peccat quis, vel non peccat peccato imprudentiæ, per hoc, quod habeat rationes probabiles vtcumq; vel illas non habeat; ergo sola ratio probabilitatis constituit actum in specie Prudentiæ.

Insto. Prudentia ex Philosopho *est habitus recta cū ratione electiuus*; ergo adhoc, vt actus sit virtutis Prudentiæ, requiritur sola recta ratio, quæ probabilitas est; seu iudicium rationis euidenter iudicantis, maximum fundamentum esse pro honestate materiæ, de qua agitur; ergo ratio tuti impertinens est.

Modo sic claudo secundum argumentum principale; ergo minor probabilitas, ac proinde probabilitas simpliciter sufficit ad ponendum actum in specie Prudentiæ; ergo ad honestandam actionem voluntatis, & agendum sine peccato.

Et quidem hoc, quod est prudenter operari eum, qui minus probabilem tutiorem sequitur relicta probabiliori (quod facilè concedit Candidus, qui *q.6.* concedit, æquè probabilem, quando est tuta, posse in praxim deduci;) animaduertendum est diligenter.

Tertio prob. conclusio principaliter, quia quod est probabile simpliciter, potest opinari verum, etiam

con-

concurrendo cum magis probabili, vt fusè probatum est *d.* 2. sed quod potest opinari verum, potest eligi, vt concedit Candidus; ergo vtcumq; probabile potest eligi, & per consequens probabilitas simpliciter cohonestat actionem.

Quarto, quia opinio probabilis tollit dubium omnino de honestate actionis; nam potest pro libito tollere dubium de honestate materię, quę est obiectum ipsius: & esto, hic & nunc non tollat, quia ego non assentior, adhuc possum assentiri, vt *d. praecedenti* fusè; ergo pro libito poterit in praxim deduci: qui enim non dubitat de honestate actionis potest agere licitè.

Neq; dicat Candidus *q.* 4. *ad* 3. opinionem meam tollere dubium meum, non aliorum; vndè cum opinione, cui ego non assentior, me non posse agere; quin potius ex contrarietate opinionum oriri dubium, cum non minus sint rationes pro licito, quam pro illicito; vndè opinio probabilis non tollit dubium de licito, sed illud inuoluit; si ergo cum illa licet agere, licet eligere licitum, perinde ac illicitum.

Contra enim est, quia oportet distinguere actionē à materia actionis, actum voluntatis ab obiecto ipsius, quod confundit Candidus cum alijs Doctoribus; quę fortasse confusio est causa difficultatis in hac materia. Verum est, quod ex hoc, quod sint varię opiniones, oritur dubium, vt enim benè Caiet. *opusc. 17. in d. prima* citatus; *varietas opinionum nata est reddere intellectum nutantem*. Igitur illud erit dubium, supra quod cadit diuersitas opinionum. Supra quid autem cadit? supra actionem, vel electionem, an verò supra materiam eligendam? supra hanc profectò, de qua tantum disputatur. Igitur intellectus erit dubius dubio orto à rationibus probabilibus, an materia eligenda sit iusta, & ho-

nesta

nesta necne; hoc autem est dubium speculatiuum, cũ quo stat, quod intellectus sit certus esse probabiliter materiam eligẽdam honestam; & quia honestas actionis non ab honestate materiæ, sed à probabilitate honestatis desumitur, ideo certus erit intellectus, quod actio erit infallibiliter honesta. Dubium ergo erit speculatiuum, non practicum, quod licet reddat dubium intellectum de honestate materiæ in se, non reddit intellectum dubium de honestate actionis, cum quo proinde certo agitur sine peccato.

Dubium ergo de honestate actionis tollitur etiam stante dubio de honestate materiæ in se, quia quod honestat actionem, non est iudicium, quod materia sit honesta in se, sed solum probabilitas, quod sit honesta. Hæc autem perseuerat certa, etiam stante dubio de honestate materiæ; ergo hæc tollit dubium circa honestatem actionis.

Vltimo probatur Conclusio, quia non minus periculosè erratur in materia fidei, quam in materia morum. Sed in materia fidei licitè, & sine peccato eliguntur propositiones dummodò probabiles sint, etiam in concursu cum probabilioribus; ergo etiam in materia morum. Minor patet; tum quia *in c. damnamus. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, damnatur opinio Abbatis Ioachimi, quę certè erat minus probabilis, quam opinio Magistri Sent. quæ fuit à Conc. approbata, & tamen non per hoc Abbas peccauit. *Vid. Glos. ibidem.* Item in Conc. Vienn. fuit approbata tamquam probabilior sententia illorum, qui dicebant paruulis in baptismate simul infundi gratiam, & virtutes; nec tamen illi, qui antecedenter sentiebant oppositum, peccarunt; quia scilicet opinionem adhuc probabilem, licet minus, sic testante Sancto Concilio sustinebant. Quod idem

in materia morum dixisse *Gl. in c. Capellanus de ferijs V. alij* interpretatur Io: And. relatus ab Abb. *eodem c. nu.* 5. scilicet ante definitionem Pontificiam non peccasse, qui oppositam partem, licet minus probabilē fuerant secuti; ergo &c. & hęc est ratio Cancellarij Paris. relata à Nau. *in c. Si quis de Pœnit. d.* 7. *nu.* 53.

Hęc autem nostra Conclusio recētiorum licet omnium calculo sit firmata satis, adhuc multos habet patronos antiquiores Theologos, & Canonistas; Inter Theologos hanc docuit clarè Magnus Albertus, cuius inter cętera hoc habetur responsum, relatum à S. Antonino *in Summa p. p. c.* 10. quod *frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in Consilijs, quamcumq; opinionem voluerit, dummodo alicuius Doctoris magni opinionem sequatur.* Quod est idem, ac dummodo probabilis verè sit.

Item sensisse videtur D. Th. *quodlib.* 3. *a.* 10. vt infra, & alij.

Quo ad Canonistas verò primo facit. *c. sicut quadā d.* 17. vbi dicitur. *In his, quæ fuerint dubia, & obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis, nec dictis SS. PP. inueniatur aduersum.* Tale autem est probabile simpliciter &c. Secundo Innoc. *c. Ne innitaris. de Const.* vbi dicit. *Quando SS. PP. habent diuersas opiniones, licet vnicuiq; quam vult, eligere.* Abbas *ibidem*, & *c. Capellanus de ferijs*, vbi dicit, quod non peccat non seruans ius pręcepti, quando sunt varię opiniones, etiamsi postea constet contrariam opinionem fuisse veram, & suam non ita subtiliter inuestigatam. Item *in c. tua nos. de vsuris*, docet contra communem opinionem posse nos agere, quando communis non probatur Iure, vel per rationem, cui non potest responderi; hoc idem dicit Io: And. relatus ab Abb. *hic*, & *in*

c. de

a de ferijs citato. Adde alios, quorum auctoritates afferemus, & expendemus infra. Iam soluantur argumēta.

Ob primo ex Candido *d. prædicta q.* 4. Nequit intellectus opinari propositionem vtcumq; probabilē, nam hæc compatitur oppositam æquè probabilem, quin & probabiliorem, quo posito nequit intellectus illam opinari; ergo nequit voluntas illam eligere.

Resp. Negando antecedens, vt satis probatum est *disput.* 2. *sect.* 4. & 5. vndè potius ex opposito antecedentis inferri potest oppositum consequentis.

Ob. secundò ex eodem. Nulla propositio putata falsa spectans ad mores eligibilis est; aliter ageremus contra fidem, quod ex Apostolo peccatum est, quod enim non est ex fide, peccatum est. Seù, nulla propositio spectans ad mores, quæ eligenti non sit opinata vera, seù licita, non est licitè eligibilis, ex communi DD. sensu, qui ad minus requirunt iudicium probabile de honestate actionis. Sed stat aliquam propositionem esse probabilem eligenti, quæ non sit iudicata vera, vel licita, quia habet oppositam probabiliorem, quæ sola potest iudicari vera, vel licita; ergo stat aliquam propositionem esse probabilem eligenti, quæ tamen non sit eligibilis; ergo ex hoc præcisè, quod aliqua propositio sit probabilis, non est licitè deducibilis in praxim.

Resp. Absolutè negando maiorem, quocumq; modo fiat; nàm ad agendum honestè, & sine peccato nō requiritur, quod iudicetur vera, seu honesta materia eligenda: sed solum, quod iudicetur certò, & euidenter honesta actio, seu electio, quæ sola regulatur à Prudentia; cuius electionis rectitudo non à iudicio, quod materia sit honesta deducitur; sed solū à iudicio, quod materia sit probabiliter honesta, hoc est, quod detur opinio verè probabilis de eius honestate; esto ipsa ma-

teria in se iudicaretur honesta, vel illicita. Neque vero agitur proinde contra fidem, quia non agitur contra conscientiam, quæ venit nomine fidei in illo textu Apostoli; conscientia enim sicut,& prudētia cadit supra electionem, quæ certò scitur honesta, vt dictum est fusè *disp. p.* Iudicium autem, quod requirunt DD. probabile de honestate actionis (licet ego velim requiri iudicium euidens) cadit supra actionem, scilicet supra electionem, non supra materiam eligendam; quæ electio adhuc est, & scitur certò honesta, etiam cum iudicio probabili, quod materia non sit honesta, dummodò sit iudicium, quod sit probabilis opinio de eius honestate, vt probatum est supra fusè; quare à probabilitate honestatis materiæ desumit suam honestatem electio.

Resp. secundo retorquendo argumentum ad hominem; nàm per Candidum *q. 6.* æquè probabilis, quando est tuta, licitè eligitur; quæro ego, prudenter, an imprudenter? prudenter profectò; sed in hoc casu non potest prædicta propositio opinari vera, cum opposita ęquè probabilis id non permittat ex Candido; ac proinde erit contra fidem, nec erit iudicium probabile de honestate ipsius; ergo alterutrum ex duobus dicendum est, vel argumentum modo factum nihil valere: vel malè concedi, æquè probabilem tutam posse prudenter eligi.

Dices. Licet non possit intellectus prębere assensũ æquè probabili, scit tamen, quod est tuta, & quod non potest peccare, vndè potest illam eligere.

Contra tamen est, quia licet intellectus sciat se non peccare contra Deum, quia procul est occasio peccandi; tamen per hoc, quod æquè probabilis sit tuta, non operatur secundum fidem, hoc est secundum id, quod arbi-

arbitratur; quia eligit id, quod non iudicat verum; igitur ad minus operabitur imprudenter, quia eligit falsum, sicut & verum, & non eligit secundum rectā rationem; vndè non secundum Prudentiam, quæ est habitus recta cum ratione electiuus. Et sanè ratio tuti non constituit actum in specie Prudentiæ, cum qui sequuntur tutum sine ratione, imprudentes sint, vt supra. Vndè ad argumentum, potest illam eligere sine nota imprudentiæ, nego: sine peccato contra Deum concedo; & ideo consultò in retorsione semper apposui, ly prudenter.

Ob. tertio ex eodem. Si propositio per hoc, quod est probabilis, potest licitè in praxim deduci, sequitur, quod id, quod nullo modo est probabile, sit verum, & licitum; quod est absurdum. Sequela patet; nullo modo est probabile, ex contradictorijs modo hanc esse veram, modo illam; modo hanc esse licitam, modo illam; sed hoc esset verum, & licitum; quia modo hanc, modo illam facerem veram mihi, opinando pro libito: modo hanc, modo illam facerem licitam mihi, eligendo; ergo esset verum, & licitum, quod nullo modo est probabile.

Resp. quod semper illud, quod deducitur in praxim, probabiliter est honestum, verum, & licitum; nam quæso, quid deducitur in praxim? hæc opinio, & illa; vtraq; probabilis est; vtraq; probabiliter vera; obiectum vtriusq; probabiliter honestum, ac proinde certò licitum, in praxi, & licitum, quod eligatur. Quomodo? Eo modo, quo est probabiliter honestum, & verum; disiunctiuè autem, non collectiuè; hoc est, tàm hæc, quàm illa opinio seorsim accepta, probabilis est, ideo vtraque opinio nō collectiuè, sed disiunctiuè in praxim deducibilis est, scilicet, si vel hæc, vel illa, modo hæc, modo illa;

do illa; & quia ſemper eligitur opinio diſiunctiuè, nec enim collectiuè duo contradictoria poſſunt ſimul poni: ideo ſemper eligitur, quod probabile eſt; licet autem opinio à parte rei modo non poſſit eſſe vera, & modo non vera, mihi tamen, ſeù reſpectu mei poteſt, & de facto id toties contingit, quoties quod prius non opinabar verum, poſtea opinor.

Ad illam autem propoſitionem, quod modò facio hanc contradictoriam licitam, modo illam; in primis dico quod non; quia ſemper vtraq; fuit mihi licita: ſemper enim potui diſiunctiuè eligere tàm hanc, quàm illam, ſi vtraq; fuit probabilis; vndè licet non deducàm niſi vnam in praxim, altera tamen erat mihi licita, quã potuiſſem omiſſa hac in praxim deducere; quod ſi adhoc vt aliqua opinio ſit licita, requiri dicatur, quod ego ipſi aſſentiam, nihil obſtat, quo minus modo vna, modo altera ſit licita; ſicut probatum eſt, nihil obſtare, quominus modo vnam, modo oppoſitam opiner, quãdo vtraq; eſt probabilis; & hoc non modo erit probabile, quod nempe hoc pacto, & in hoc ſenſu modò vna opinio ſit licita, modo non, ſed veriſſimum.

SECTIO TERTIA.

Inferuntur quædam Concluſiones ex dictis.

IN præcedenti ſectione implicitè, & virtualiter continentur quædam propoſitiones, quas explicare iuuat diſtinctè, & latius confirmare.

Concluſiò Prima.

OPinio ſingularis vnius Doctoris, etiam contra communem, dummodò probabilis ſit, licitè, & ſine peccato deducitur in praxim, & actio infallibiliter ſequi-

sequitur honesta. Est omnium, qui opinionem simpliciter probabilem, etiam concurrentem cũ probabiliori volunt posse eligi; in terminis autem vid. Pasqualig. *in decis. mor. decis.* 2. *&* 3. & præter Albertum, & alios DD. sup. relatos idem censet Nau. *in Man. c.* 27. *num.* 288. vbi ait, *ad non peccandum sufficit eligere opinionem, quam meritò censemus esse viri docti, & conscientia prædити*. Quando autem vnus Doctor faciat opinionem probabilem, dictum est *d.* 2. *sect.* 1.

Prob. Conclusio primo. Vnus vir doctus potest docere opinionem probabilem re vera contra communẽ; sed opinio re vera probabilis potest in praxim eligi; ergo opinio vnius Doctoris contra communem potest in praxim eligi. Minor probata est satis *sect. præcedenti*; maior, pręterquamquod satis clara est ex dictis *sect.* 1. *d.* 2. vlterius sic probatur. Opinio cõmunis non est vera, & euidens, & vir doctus soluit saltem probabiliter rationes ipsius: insuper affert rationem, quæ euidenter non soluitur, sed solum probabiliter; ergo communis opinio non nisi probabilis est, & ad summũ magis probabilis; ergo nihil prohibet, quin opposita sit probabilis; nam si quid prohibet, est communis opinio, quę est in contrarium; sed hæc non, quia cum non excedat limites probabilitatis, non negat, nec destruit probabilitatem alterius, quin illam supponit: & ex alia parte opinio singularis est firma ratione, valida, & probabili fulta; ratio enim, quæ solùm probabiliter ad summum soluitur, probabilis est; ergo re vera opinio singularis viri docti, etiam contra communem potest esse probabilis.

Sed obijcit primo Cand. *d. cit. q.* 8. quia communis sententia rem ferè certam reddit, si enim *vox Populi, vox Dei*, quanto magis vox sapientium consentientiũ; ergo

ergo in oppositum nec possumus opinari, nec oppositum sequi.

Resp. Candidum benè apponere illam particulam ferè, quia verè communis sententia, ex hoc, quod cõmunis, certa non est, sed ad summum erit valdè probabilis, seù summè probabilis; opinio autem quamuis summè probabilis, patitur contrariam probabilem, alias si non pateretur, certa esset simpliciter; vt patet de se.

Ob. secundo auctoritatem Aristotelis *3. met. c. primo*, vbi docet in qualibet facultate non vni opinanti standum, sed sententias esse librandas, dubitandum de earum veritate, ponderandas rationes, vt veritas inueniatur; igitur in materia morali, in qua periculum peccandi est, vni Doctori non est fidendum.

Resp. Quod Aristoteles non vult, quod non possimus stare sententiæ vnius Doctoris magni, etiam contra communem, si eius opinio simpliciter probabilis est, & errorem non continet; sed solum vult, quod vir doctus non debet statim vni sententiæ auditæ, siue sit vnius, siue multorum acquiescere, & decidere pro illa; sic enim, vt ait Philosophus, non benè, se haberet ad iudicandum, cum Iudices debeant omnes partes audire; sed debet vtrasq; sententias ponderare, & videre si prima, siue communis, siue singularis habeat in oppositum rationes conuincentes, si probabilis remaneat; quo posito postea non negat posse cuilibet, dummodo probabilem verè reperiat, assentiri. Alias auctoritates ex scriptura, & Sanctis PP. desumptas expendemus infra.

Conclusio

Conclusio Secunda.

OPinio, etiam eligenti opinata falsa, licitè in praxim deducibilis est, dummodo ipsi constet de eius probabilitate; & per consequens multò magis opinio non iudicata vera, dummodo probabilis sciatur. Est omnium eorum, qui docent posse quem operari secundum opinionem probabilem aliorum contra propriam, vt patebit consideranti, & in terminis videatur Pasqual. *in decis. mor. decis.* 21.

Probatur Conclusio. Primo, quia propositio, ex hoc, quod sit opinata falsa, non desinit esse euidenter probabilis, etiam illi, qui falsam opinatur, vt probatum est *d.* 2. *sect. prima*; sed quod facit, quod propositio licitè sit in praxim deducibilis, non est, quod existimetur vera, vel falsa, sed eius probabilitas; quæ ex dictis fusè sola est, quæ est regula operis, & refundit honestatem in actus voluntatis, & facit illos virtutis Prudentiæ; ergo opinio iudicata falsa, adhuc in praxim licitè deducibilis est.

Secundo. Quia ponatur E.G. hic casus. Quęritur, an Cambium recursæ sit licitum in se; vtrinque sunt opiniones probabiles: ego licet possim vtriq; assentiri, tamen assentior parti negatiuæ, & iudico Cambium prędictum esse illicitum, adhuc tamen scio probabile esse, quod sit licitum; tum sic. Eligendo prædictum Cambium adhuc infallibiliter scio, me operari honestè, & prudenter; ergo &c. Probatur antecedens, adhuc scio euidenter, licitum esse mihi tale Cambium, licet opiner in genere esse illicitum, seù à parte rei, & secundũ se; quia non est eadem ratio, quæ facit rem licitam secundum se, & licitam mihi, seù eligibilem à me; licitã enim secundum se facit eius conformitas ad iustitiam,

& licitam mihi facit apparentia liciti, cum graui ratione, seù fundamento, adhibita sufficienti diligentia, quod est idem, ac dicere probabilitas. Quia autem stat, quod res opinetur non conformis ad iustitiam, & tamen sciatur apparere cum graui fundamento conformis; ideo stat, quod sit licita mihi, seù eligibilis, & adhuc ęstimetur, seù etiam sit à parte rei illicita.

Vnde non sequitur, quod ego eligam illicitum mihi, seù putatum illicitum mihi; & sic quod agam contra conscientiam; nam eligo, quod scio licitum esse mihi, licet putem illicitum secundum se; quæ duo stant optimè, vt mox ostendi, & probatum est fusè *d. prima.* Vnde actio mea sequitur infallibiliter honesta, & ex fide, secundum conscientiam, & Prudentiam.

Sed quia aliqua posset esse ęquiuocatio in illo termino (licitum) quod potest sumi absolutè, & respectiuè; absolutè pro eodem ac honestum, conforme rationi; respectiuè verò prout dicit ordinem ad aliud, & sic idē sonat, ac eligibile; Ideo secludamus æquiuocationes, & sic manifestetur veritas conclusionis. Dixi posse aliquid iudicari illicitum secundum se, & licitum mihi; vera est hęc propositio, si illicitum sumatur absolutè prout indicat modus secundum se, & sic sonat idem, ac honestum, ac conforme rationi, & iustitiæ: & licitum mihi, è contra respectiuè, pro eodem ac licitè eligibile, ac sine peccato: quæ duo profectò non pugnant; nam dū dico, aliquid est illicitū secundū se, prædico inhonestatē, seu negationē debitæ conformitatis ad iustitiam de re, seu obiecto, puta de Cambio recursæ; dum dico licitum esse mihi, prædico honestatem, & conformitatem cum recta ratione, quæ importatur in ly, licitum, de mea electione prædicti Cambij; vnde idem obiectū non iudicatur honestum, ac non honestum, sed duo obie-

obiecta sumuntur, quorum alterum, nempè Cambium dicitur iniustum; electio verò, quæ est alterum obiectum, dicitur iusta, in quo nulla est implicantia.

Quomodo autem electio possit esse iusta, & honesta, quando ipsius materia putatur illicita, probatum est fusè; quia honestas electionis, ab apparentia honestatis in obiecto cum graui fundamento, non verò ab iudicio, quod obiectum sit honestum in se, deducitur.

Dices; ergo licet eligere illicitum. Resp. quod ne faciamus vim in termino ęquiuoco, dicas; ergo licet eligere obiectum, quod putatur iniustum esse, seù non conforme rationi; sic enim respondeo, quod quando putatur tantum opinatiuè, non euidenter, & ex alia parte scitur euidenter apparere iustum cum graui fundamento, vtique licet illud eligere; vnde ego non committo iniustitiam, quia vtor iure meo, quod habeo eligendi, quod mihi apparet iustum cum fundamento, licet ego putem iniustum; vnde obiectum ex hoc iure, quod habeo, euadit respectu mei non iniustum: vnde simpliciter eligo iustum, & licitum respectu mei.

Dices. Ergo saltem scienter agis illicitum materialiter; quod profectò non videtur esse rectum operari.

Resp. Quod in primis, an obiectum, quod eligitur sit materialiter illicitum, hoc est in re iniustum, Deus scit, non verò eligens, qui tantum opinatur esse iniustum: cum quo potest stare, & fortè à parte rei stat, quod sit iustum; vnde falsum est, quod scienter agat iniustum materialiter, non enim scit, quod sit illicitum materialiter; si autem propositio fiat hoc pacto; ergo saltem scienter agis opinatum illicitum materialiter, vera est propositio; hoc autem est rectè operari, quando ex alia parte est probabilis opinio, quod sit licitum, seù iustum; tunc enim euidenter scit à se iustè

esse eligibile, vnde & scit rectam fore suam operationem.

Dices. Dubius de illicito non potest quis agere; ergo multo minus cum opinione de illicito.

Resp. Distinguendo antecedens. Dubius de illicito cadente supra materiam eligendam, non potest agere, nego antecedens, si stante hoc dubio sint rationes probabiles pro licito, vt probatum est, *d. p. sect. v. concl. 2.* Dubius de illicito cadente, vel supra electionem, vel supra ipsam materiam eligendam deficientibus rationibus probabilibus pro licito, concedo; & similiter ad cōsequentiam, distinguo: cum opinione de illicito, stante opinione probabili de licito, nego consequentiam; sine vlla opinione verè probabili de licito, concedo consequentiam.

Dices. Quis debet stare suo iudicio, & suo dictamini rationis; ergo, quod putat illicitum, etiam stantibus opinionibus aliorum in oppositum non potest agere.

Resp. Quod eligendo id, quod putat illicitum etiam stat suo dictamini rationis, suæq; rectæ rationi, & conscientiæ, quam sequi debet in operando, ne peccet. Dictamen enim rationis, recta ratio, conscientia &c. cum practica sit respicit electionem, quam dirigit, quam quidem etiam stante iudicio speculatiuo de inhonestate materiæ dictat esse licitam, & posse actu poni; quia assentitur huic actui, quo scit, materiam, de qua probabilis est opinio, quod sit honesta, posse eligi licitè; vndè eligendo illam conformatur, suo dictamini rationis, quod sequens scit se non errare. Vel claritatis gratia distinguas, debet stare quis suo iudicio speculatiuo, nego, quo iudicat de honestate rei in se; iudicio practico, quo iudicat de electione, concedo; Ideo &c. Adde propositionem Cancell. Paris. *in tract. de natura conscientiæ;*

vbi

vbi ait, *In agendis plus debemus alijs credere, quam nobis.*

Dices. Quod quis putat iniustum, putat esse peccatũ; ergo non debet, nec licitè potest illud agere, alias posset licitè agere, quod sibi est peccatum.

Resp. In primis peccatum solum propriè consistere in actione nostra, non verò in obiecto ipsius. Qui autem putat obiectum esse iniustum, simul scit suã actionem esse iustam, & licitam; vnde non putat se peccare. Addo peccatum idem est ac offensa Dei; obiectum putatum iniustum non est offensa Dei, quando cõcurrit cũ probabili opinione, quod sit iustum; Deus enim non offenditur in illis rebus, quas prudenter possumus eligere: obiectum autem, de cuius iustitia est probabilis opinio potest prudenter eligi; vnde esto putet quis obiectum suæ actionis iniustum, adhuc illud non putat peccatum, sed euidenter scit non esse tale, & per consequens scit se non peccare.

Concludo, & probo tertio hanc conclusionem hoc argumento. Potest quis in praxi sequi opinionem probabiliorem aliorum, quam ipse putat falsam; Item subditus potest sine peccato sequi in praxi opinionem ꝓbabilem superioris contra propriam, esto adhoc non obligetur, de quo modo non disputo; ergo hic potest in praxi sequi, quod putat illicitum, si enim opinio alicuius, etiam superioris, quod aliqua res sit iusta, ab ipso putatur falsa, profectò illa res ab ipso putatur iniusta, & in se illicita; ergo opinio opinata falsa, si in contrarium sit opinio probabilis, vel probabilior, licitè in praxim deducibilis est.

Dices. In casu argumenti maior probabilitas, vel obedientia superiori debita iustificat actionem.

Sed contra, quia actionem iustificat probabilitas simplici-

esse eligibile, vnde & scit rectam fore suam operationem.

Dices. Dubius de illicito non potest quis agere; ergo multo minus cum opinione de illicito.

Resp. Distinguendo antecedens. Dubius de illicito cadente supra materiam eligendam, non potest agere, nego antecedens, si stante hoc dubio sint rationes probabiles pro licito, vt probatum est, *d. p. sect. v. concl. 2.* Dubius de illicito cadente, vel supra electionem, vel supra ipsam materiam eligendam deficientibus rationibus probabilibus pro licito, concedo; & similiter ad cōsequentiam, distinguo: cum opinione de illicito, stante opinione probabili de licito, nego consequentiam; sine vlla opinione verè probabili de licito, concedo consequentiam.

Dices. Quis debet stare suo iudicio, & suo dictamini rationis; ergo, quod putat illicitum, etiam stantibus opinionibus aliorum in oppositum non potest agere.

Resp. Quod eligendo id, quod putat illicitum etiam stat suo dictamini rationis, suæq; rectæ rationi, & conscientiæ, quam sequi debet in operando, ne peccet. Dictamen enim rationis, recta ratio, conscientia &c. cum practica sit respicit electionem, quam dirigit, quam quidem etiam stante iudicio speculatiuo de inhonestate materiæ dictat esse licitam, & posse actu poni; quia assentitur huic actui, quo scit, materiam, de qua probabilis est opinio, quod sit honesta, posse eligi licitè; vndè eligendo illam conformatur, suo dictamini rationis, quod sequens scit se non errare. Vel claritatis gratia distinguas, debet stare quis suo iudicio speculatiuo, nego, quo iudicat de honestate rei in se; iudicio practico, quo iudicat de electione, concedo; Ideo &c. Adde propositionem Cancell. Paris. *in tract. de natura conscientiæ;*

vbi

vbi ait, *In agendis plus debemus alijs credere, quam nobis.*

Dices. Quod quis putat iniustum, putat esse peccatũ; ergo non debet, nec licitè potest illud agere, alias posset licitè agere, quod sibi est peccatum.

Resp. In primis peccatum solum propriè consistere in actione nostra, non verò in obiecto ipsius. Qui autem putat obiectum esse iniustum, simul scit suã actionem esse iustam, & licitam; vnde non putat se peccare. Addo peccatum idem est ac offensa Dei; obiectum putatum iniustum non est offensa Dei, quando cõcurrit cũ probabili opinione, quod sit iustum; Deus enim non offenditur in illis rebus, quas prudenter possumus eligere: obiectum autem, de cuius iustitia est probabilis opinio potest prudenter eligi; vnde esto putet quis obiectum suæ actionis iniustum, adhuc illud non putat peccatum, sed euidenter scit non esse tale, & per consequens scit se non peccare.

Concludo, & probo tertio hanc conclusionem hoc argumento. Potest quis in praxi sequi opinionem probabiliorem aliorum, quam ipse putat falsam; Item subditus potest sine peccato sequi in praxi opinionem ꝓbabilem superioris contra propriam, esto adhuc non obligetur, de quo modo non disputo; ergo hic potest in praxi sequi, quod putat illicitum, si enim opinio alicuius, etiam superioris, quod aliqua res sit iusta, ab ipso putatur falsa, profectò illa res ab ipso putatur iniusta, & in se illicita; ergo opinio opinata falsa, si in contrarium sit opinio probabilis, vel probabilior, licitè in praxim deducibilis est.

Dices. In casu argumenti maior probabilitas, vel obedientia superiori debita iustificat actionem.

Sed contra, quia actionem iustificat probabilitas simpli-

pliciter; cum magis, & minus non differant specie; ergo si non obstante iudicio probabili de inhonestate, possum sequi probabiliorem in praxi dicentem de honestate, etiam potero sequi probabilem de honestate. Item respectu agentis non est maior probabilitas, sed minor, quia ipsi apparet opinio aliorum falsa.

Quod additur de obedientia superiori debita, hæc profectò non iustificat actionem; vnde superiori præcipienti clarè illicitum, obediendum non est; facit quidem actionem magis meritoriam, sed nō licitam; quod enim iustificat, est probabilitas ex parte superioris, quod præcipiat iusta. Et sanè obedientia facit, vt debeas facere, quæ præcipit superior; at vero probabilitas facit vt possis. Igitur si contra propriam opinionem sequi potes in praxi opinionem superioris præcipientis, iam potes sequi opinionem probabilem, quam putas falsā; & ideo potes, quia probabilis est. Neque vero ideo potes, quia præcipit superior, quia antequam superior præcipiat, debes posse, alias non posset à superiore præcipi; superior enim debet præcipere ea, quæ licitè possunt fieri; vnde obedientia, prius præsupponit aliquid posse fieri licitè, & ipsa addit coactionem, & vt mox dicebam, obedientia facit vt debeas, non vt possis, loquendo vniuersaliter.

Conclusio Tertia.

QVis inter opiniones contrarias probabiles constitutus potest pro libito, quam voluerit eligere, quin & modo hanc, modo illam. Est communis inter recentiores. Vid. Pasqual. *decis.* 23. quibus adde Nauarrum *de Pænit. & remiss. cons.* 8. vbi docet, posse Doctorem respondere vtramq; opinionem probabilem posse iustè teneri in praxi, & consulentem posse, quam voluerit, sequi. Con-

Conclusio sequitur ex dictis; probabilitas enim sola dummodò verè adsit, sufficit ad agendum sine peccato; concurrentibus autem opinionibus cõtrarijs, æquè licet probabilibus, vtramque simpliciter remanere probabilem, probatum est *d.* 2. *sect.* 3. Quod autẽ possit eligere modo hanc, modo illam, sequitur ex hoc: nam vtraq; est eligibilis, quia vtraq; probabilis, & per hoc quod eligatur nunc vna, alia non desinit esse, nec euidenter iudicari probabilis; nec enim per meam electionem tollo probabilitatem sententiæ oppositæ; ergo adhuc illa est eligibilis, ergo possum illam modo eligere relicta priori. Immo etiamsi requireretur assensus illi opinioni, quam in praxi eligo, adhuc possem modo hanc, modo illam eligere; quia possum, quando vtraq; est probabilis, modo hanc, modo illam opinari; non minus enim sum liber ad opinandum, postquam opinatus sum, quàm antea, in sensu tamen diuiso, hoc est, abiecta prima opinione.

Sed ob. primo ex Candido *q.* 6. quando vtraq; contradictoria est probabilis æquè, puta, quod Cambium recursæ liceat, & quod non liceat; adhuc intellectus est dubius de veritate rei: neque hoc, quod vtraque sit probabilis, tollit dubium, cum intellectus etiam cum hoc non minus habeat rationes pro licito, quam pro illicito, vndè nequit se determinare; insuper vtraq; non remanet nisi probabilis secundum quid: sed cum dubio, an liceat non possumus agere; ergo quando vtraque contradictoria est probabilis, non possumus pro libito alterutram amplecti in praxi.

Resp. Quod quando intellectus est inter opiniones æquè probabiles, nunquam est dubius radicaliter; quia ex hoc, quod habeat opiniones verè probabiles, potest pro libito ad quamlibet se partem determinare, illam .s.

opi-

opinando; & sic non remanere dubius de veritate rei; dubietas enim ab intellectu tollitur per ipsius assensum: assensus autem est opinio. Quandoq; tamen intellectus inter opiniones æquè probabiles constitutus remanet formaliter dubius de veritate rei, seu de honestate materię: quia scilicet nec assentitur opinioni de honestate, nec opinioni de inhonestate, sicut posset, si vellet. In hoc ergo casu sic dubius de honestate rei, adhuc potest illā eligere, & agere sine peccato, & honestè; per hoc pręcisè, quod materia tantum probabiliter cognita honesta, seù de cuius honestate euidens est dari opinionem probabilem, honestat actionem, & reddit illam licitā ex dictis, & probatis supra fusè. Adhuc ergo quis inter probabiles opiniones constitutus licitè agit, & sine peccato, quamlibet opinionem sequendo; & licet dubitet de honestate materiæ in esse rei, est tamen certus esse sibi licitam, & eligibilem sine peccato (idem est enim licitum, ac non vetitum, seù eligibile,) & per consequēs est certus sibi licere, sic agere, & non formidat nec leuiter se peccare. Quod additur, propositiones probabiles concurrentes non esse probabiles simpliciter, falsum est, & impugnatum fuit *d. 2. sect. 3.*

Ob. secundo. Non potest quis licitè agere, nisi ad minus opinetur se licitè agere; sed cum opiniones æquè probabiles sunt contrariæ circa honestatem actionis, nequit opinari se licitè agere: tunc enim motiua sunt paria tam pro licito, quam pro illicito, vnde nequit alterutri parti assentiri; ergo &c.

Resp. Quod ad licitè agendum requiritur scientia, non modo opinio de licitè agendo; quæ scientia cadat supra honestatem actionis, seù electionis, quæ per se formaliter debet esse honesta, & actus Prudentiæ; numquam autem sunt opiniones contrariæ circa honesta-

tem

tem actionis, ſed ſolum opiniones contrariæ cadunt ſupra materiam actionis, cum quibus opinionibus cõtrarijs, non modo ſtat opinio, ſed ſcientia de honeſtate actionis, etiamſi intellectus non aſſentiatur materiam eſſe honeſtam, ſeù etiamſi poſitiuè opinetur eſſe inhoneſtam, dummodo ſit certus de probabilitate honeſtatis, vt ſupra fusè. Addo, quod etiamſi motiua circa honeſtatem, & inhoneſtatem materiæ ſint paria, adhuc poteſt intellectus pro ſua libertate cuilibet pro libito aſsentiri.

Ob. tertio. Quod res ſit, non poteſt iudicari niſi vno modo, licet poſſit iudicari, quod appareat vtroq; modo; ſed cum æqua ſunt motiua, non eſt ratio, cur iudicetur potius vno modo, quam altero; ergo nullo modo poterit iudicari. Quid enim tollet hanc indifferentiam? ergo remanebit intellectus dubius; ſed cum dubio circa actionem non licet operari; ergo concurrentibus opinionibus ęquè probabilibus, in quo caſu motiua ſunt paria, non poſſumus licitè operari.

Reſp. Verè non niſi vno modo rem poſſe iudicari, quoad eſſe; tamen diſiunctiuè poſſe iudicari vtroque modo, hoc eſt aut vno, aut altero, ſi pro vtraq; parte ſint motiua ſimpliciter ſufficientia, hoc eſt verè probabilia, ſiuè ſint ęqualia, ſiuè non; & licet ex parte motiuorum non ſit maior ratio, cur potius vno modo, quam altero iudicetur; tamen ſimpliciter eſt motiuũ, & ſufficiens cauſa, cur alterutri parti aſſentiatur intellectus. Hanc indifferentiam quis ſupplebit? Voluntas, quę in ſimilibus caſibus habet ſibi ſubditum intellectum, vt eius indifferentiam non plenè determinatã à motiuis, determinet, vt probatum eſt *d.* 2. In caſu ergo opinionum æquè probabilium, intellectus nunquam erit dubius radicaliter circa materiam, quia ſemper poterit

opinari esse illã honestã; formaliter autẽ, si quando erit dubius, hoc non obstabit, quia non proinde erit dubius circa actionem. Vellem autem vt Candid. & DD. omnes distinguerent actionem à materia, sic enim clarius hanc quæstionem, & difficultatem dissoluerent.

Ob. quarto. Non potest quis sequi, quod non est probabile esse verum; sed non est probabile esse verã vtramq; contradictoriam; ergo vtramq; non possumus sequi.

Resp. Quod eo modo, quo est probabile vtramque contradictoriam esse veram, eo modo vtramq; contradictoriam potest quis sequi; porrò licet non sit probabile vtramq; contradictoriam esse veram collectiuè; est tamen probabile esse veram disiunctiuè, hoc est, aut vnam, aut alteram, & sic disiunctiuè pro libito vtramque contradictoriam possumus eligere, scilicet vnam, aut alteram; sed subtilius.

Resp. secundo. Et prius noto, quod est maxima differentia inter has duas propositiones; Apparet probabiliter, (quod est idem ac dicere probabile est,) quod vtraq; contradictoria sit vera, & Vtraq; contradictoria probabiliter apparet vera; nam in prima propositione agitur de eo, quod est in re; in secunda autem tantum de apparentia; dicitur enim in prima, Apparet, quod vtraq; sit vera in se; vnde in hac apparentia cadit supra res, secundum modum, quem habent à parte rei; at verò in illa secunda, apparentia cadit supra res, vt obijciuntur intellectui, & secundum motiuum, quod habent sui in intellectu. Et hinc prima est falsa, quia cum intellectus sciat certissimè vtramq; contradictoriam in se non posse esse veram; hinc nullo pacto probabiliter potest intellectus iudicare, quod vtraque sit vera. At secunda est vera, quia licet res esse non possit à parte rei

vtroq;

vtroq; modo; poteſt tamen vtroq; modo apparere, & cum fundamento; ſic vtraq; contradictoria poteſt apparere probabiliter vera, quia vtraq; collectiuè poteſt habere fundamentum veritatis. Hinc ad argumentũ; quia id, quod requiritur ad honeſtè agendum, ſine peccato non eſt modus, quo res eſt à parte rei: ſed quo apparet probabiliter; quia vtraq; collectiuè apparet probabiliter vera, vtraq; collectiuè etiam erit eligibilis, quia vtraque etiam collectiuè habet rationem formalem cohoneſtatiuam actus moralis. Vnde maior argumenti obiecti, vel eſt falſa, vel æquiuoca; fiat ergo hoc modo. Non poteſt quis ſequi, quod neq; probabiliter verum apparet, & ſic vera erit; & minor fiet hoc modo, ſed vtraq; contradictoria neq; probabiliter apparet vera, & hæc erit falſa, vnde nulla conſequentia.

Adde, quod vtraq; contradictoria non poteſt ſimul eligi, niſi reſpectu diuerſorum; in quo caſu duæ electiones diuerſæ duabus contradictorijs correſpondent, quarum vtraq; in alterutram contradictoriam ſeorſim ferretur; quia ergo vtraq; contradictoria ſeorſim eſt probabiliter vera, ideo nulla electio in hoc caſu ferretur in id, quod non eſt probabile eſſe verum; vnde vtraque eſſet certò honeſta.

Inſtabis. Eligens vtramq; eſt certus ſe eligere falſum, quia alterutram ex contradictorijs eſſe falſam neceſſe eſt; ſed falſum euidenter cognitum eligi non poteſt; ergo &c.

Reſp. Quod licet eligens vtramq; contradictoriam ſciat ſe eligere falſum, neſcit tamen vbi ſit falſum, cum vtraq; ipſi appareat vera. Vitaret profectò illam, in qua ſciret eſſe falſitatem; quia autem neſcit, vtramq; eligit, quia vtraq; habet probabilitatem, quæ ſufficit ad honeſtè agendum; vnde ad minorem, dico falſum co-

gnitum determinatè non posse eligi, secus cognitum vagè disiunctiuè &c. Sit exemplum. Mercatori, qui statuit negotiari mille aureos, proponitur negotium in Hispania; hinc tantum probabiliter apparet spes lucri: inde tamen etiam probabiliter vrget timor damni; quid facit. Vtramq; partem sequitur: quingentos exponit negotio, & sic affirmatiuam sequitur, quę dicit negotiandum in Hispania; alios quingentos suspendit, & sequitur quo ad hos negatiuam, quæ dicit non negotiandũ. Modo quęro. Mercator iste egitne prudenter? quis neget? certè autem quoad vtramq; partem: quia quantũ motiui habebat pro vna parte, tantum habebat pro alia; & tamen certus est in vna parte esse falsum, certò enim aut erat futurum lucrum, aut non. Applica modo; mihi proponitur Cambium recursæ E. G. vt licitum, & vt illicitum, in duabus regionibus. Eligo Cambium in vna regione: non eligo in alia; quare non agam prudenter, & per consequens quare non licitè. Et ratio est à priori, quia vtraq; contradictoria est probabilis, & magis pręponderat probabilitas, quæ certè supra vtramq; cadit, quam falsitas, quæ vbi cadat, nescimus.

Dices. Vtrique non possumus assentiri; ergo vtramq; non possumus eligere.

Resp. Negando consequentiam, quia quod non possimus assentiri non est ex parte motiuorum; seu probabilitatis opinionum; vtraq; enim potest mouere ad sui assensum; sed ex parte actuum, qui vt potè contradictorij inter se repugnant; Vnde sicut hoc nõ tollit probabilitatem opinionum, sic neq; eligibilitatem.

Ob. quinto. Probabilis opinio cum contraria æquè probabili non tollit dubium de illicito, cum quo non licet agere; nam tunc non minus sunt rationes pro licito, quàm illicito, cũ vtraq; opinio sit æquè probabilis.

Neque dicatur tolli dubium per hoc, quod detur probabilis opinio de licito; nam hæc probabilis opinio de licito secum compatitur rationes æquales pro illicito, vnde non tollit dubium, sed ponit. Præterea ad rectè agendum requiritur, quod sciam me agere licitum, quod actio sit licita; sed quando sunt æquales opiniones tam pro licito, quam illicito, hoc non possum scire: tàm enim secundum se, actio proponitur licita, quam illicita; ergo &c. alias perinde possem eligere licitum, ac illicitum: vel meo arbitrio possem opinari licitum, quod est contra Aristotelem, quia liberum nõ est opinari. Item quare cum conscientia dubia non licet opinari? quia non pariter licitum, atq; illicitum eligibile est. Sed hoc contingit etiam, quãdo opiniones contrariæ sunt æquè probabiles, quia nõ minus rationes sunt pro licito quam illicito; ergo &c. Deniq; quare in dubio orto ex opinionibus contrarijs possum amplecti, quod volo? fortasse, quia ego possum amplecti opinionem probabilem? hoc est petere principium, est enim id, de quo disputatur; ergo &c.

Hoc argumentum, quod diffusè *d. prædicta qu. 6.* Candidus vrget, & prosequitur, si explicetur, & semel distinguamus materiam ab actione, seu electione materiæ, nullum esse inuenietur; nam in primis licet nõ possimus agere cum dubio de illicito cadente supra electionem (quin etiam velim requiri scientiam de licito actionis) cum dubio tamen cadente supra materiam, orto ex opinionibus probabilibus licet agere; quia hoc dubium non tollit cognitionem certam de honestate actionis, quæ honestas per se intenditur à Prudẽtia, vt supra fusè. Opiniones autem probabiles non ponunt dubium circa actionem, sed solùm circa materiã, circa quam cadunt, ponunt enim dubium de licito, vel

illicito circa materiam,de qua loquuntur. At verò non inde, neque illatiuè concludunt circa actionem, cuius honestas non mensuratur ab opinionum veritate, sed ab opinionum probabilitate, vt probatum est fusè supra. Et hoc est, quod dicunt DD. dum docent intellectum speculatiuum nihil dicere de operando, & dubiũ speculatiuum (intellige circa materiam) non cadere supra actionem, nec illius honestati officere. Vndè ex hoc, quod sint opiniones æquè probabiles, remanet dubium de honestate materiæ in se, esto; de electione, nego; per hoc enim, quod sint æquè probabiles, sicut nõ tollunt probabilitatem sibi inuicem; sic neq; rationem formalem honestatiuam actionis.

Quamuis concurrentibus opinionibus æquè probabilibus non remanet dubium radicaliter circa honestatem ipsius materiæ; potest enim intellectus pro libito opinari materiam esse honestam, vt supra fusè, cum de libertate opinandi; vnde per probabiles opiniones tollitur dubium, quia ponitur sufficiens motiuum, quo intellectus potest opinari, & dubium deponere.

Vlterius ad rectè agendum verè requiritur, quod sciam, quod mea actio sit licita, quod materia sit à me eligibilis, & mihi licita, quod idem est; hoc autem possum scire, immo scio, etiam concurrentibus contrarijs opinionibus æquè probabilibus; quia per illas, seù per neutram illarum inducor in dubitationem, seù formidinem, quod actio sit illicita, quia ipsæ non respiciũt actionem. Inducor quidem in formidinem, an materia secundum se sit honesta: non verò an actio, seù illius electio sit honesta; quæ ex hoc, quod opinio de honestate materiæ sit probabilis, infallibiliter est honesta; vnde non perinde eligo licitum, ac illicitum mihi; scio enim euidenter talem materiam esse licitam mihi,

seù

seù à me eligibilem, licet dubitem de licito secundum se; possum autem perinde eligere licitum, ac illicitum secundum se, si sciam illud licitum mihi; vt in præsenti. Præterea pro libito possum opinari materiam etiam secundum se esse licitam; neque hoc est contra Aristotelem; neque erit fingere, quia dum habeo rationes probabiles, opinor, non fingo, vt probatum est. Actionem autem non solum pro libito opinor honestam; sed certò, & infallibiliter scio sine vlla formidine esse honestam.

Præterea. Cum Conscientia dubia non licet agere, quia tunc nulla est ratio honestans actionem; at verò quando concurrunt opiniones probabiles, est statim ratio formalis honestans actionem, nempè probabilitas, quod materia licita sit secundū se; & licet sint rationes in contrarium alterius opinionis æquè probabilis, dicta probabilitas non tollitur, nec ponitur in dubio; vnde remanet certissimum honestatiuum actionis.

Demùm, dum dicimus nos posse amplecti opinionem quamcumq; ęquè probabilem, non petimus principium; tùm quia hoc probauimus supra, dum ostendimus, quod sola probabilitas opinionis est ratio honestatiua actionis; tùm quia dum conclusio nostra non impugnatur, benè respondemus solùm illam asserendo; vndè non petimus principium nos; sed Candidus debet hoc impugnare.

Dices. Concurrentibus opinionibus æquè probabilibus emergit dubium speculatiuum; ergo & practicum; nam quid illud tollit? Dices. Probabilitas opinionum. Petis principium, hoc est enim, quod quęritur.

Resp. Clarè negando consequentiam. Quomodò probas? non probas, sed quæris? bene. Quęrenti respondetur id, quod est in controuersia; petone principium

cipium? nequaquam; petit principium, qui impugnanti respondet id, quod est in controuersia; sit exemplũ; Est in controuersia, an materia prima habeat propriã existentiam, quidam sic arguit. In toto est forma, quę habet existentiam; ergo materia existit per illam; negatur consequentia; ille vrget, quare non existit per formam habentem existentiam? respondeo, quia habet propriam, petone principium? quis hoc dicat? sic in casu nostro; ergo &c.

Ob. sexto. Dum est dubium de vno ex duobus non tollitur dubium per hoc, quod asseritur aliquid commune vtrique; ergo cum est dubium, an actio sit licita, non tollitur dubium per hoc, quod sit probabile, quod sit licita; quia hoc quod est esse probabile, est cõmune etiam parti oppositæ, quia est etiam probabile, quod non sit licita.

Resp. Nunquam esse dubium, an actio sit licita, sed solùm an materia sit honesta, seù licita secundum se; supra quàm solùm cadunt opiniones probabiles; esto ergo, quod per probabilitatem, quod materia sit licita non tollatur dubium, quia probabilitas est communis alteri parti, nempe opinioni, quod sit illicita, tollitur tamen dubium circa honestatem actionis, quam probabilitas de honestate materiæ ponit, & quam probabilitas, quod materia sit inhonesta, non tollit, quia cum illa stat, sicut cum ista stat probabilitas de honestate materiæ, vnde poterit quis agere sine peccato.

Addo, quod quamuis per probabile esse non tollatur dubium formaliter circa honestatem materiæ in se, tollitur tamen radicaliter, in quantum potest intellectus assentiri illi opinioni de honestate, & sic tolletur dubium formale, quia ponetur assensus, qui vtiq; non erit, quid commune alteri parti, seù alteri opinioni, licet probabili.

Alia

Alia duo argumenta affert Candidus *prædicta d.q.6.* quæ tamen ex dictis soluta manent, & vlterius ex dicendis infra diluentur.

Ob. Septimo. Ex eodem *q.* 8. Dubitanti mihi de valore monetæ, si duo paris auctoritatis contradictoria dicant; quid agendum erit? certè dubitandum; quare enim potius vni credendū, quā alij? ergo similiter in cōcursu opinionū æquè probabiliū solùm dubitandū est.

Resp. Si illi faciunt suum dictum probabile, prudenter, cui voluero assentiar, & prudenter, quam voluero partem eligam, quia quod vni eorum assentiar, habeo sufficiens motiuum, scilicet testimonium probabile; si quæris, quare potius vni, quam alij credo; resp. ly potius refundendum in voluntatem; adhuc tamen non valet; ergo pro libito opinaris: quia hic est transitus à secundum quid ad simpliciter. Cōcedo, quod lŷ potius à voluntate solùm dependeat; non verò simpliciter opinari, ad hoc enim habeo sufficiens motiuum, auctoritatem nempe probabilem.

Conclusio Quarta.

QVælibet opinio, dummodo speculatiuè probabilis, licitè in praxim deducibilis est; vnde nulla est distinctio quorumdam DD. dicentium, aliquid esse probabile speculatiuè, & non practicè; hoc est, aliquid licet reuera speculatiuè probabile sit, in praxim tamen deducibile non esse. Ita docuit subtilissimus Io: Sanchez. *In sel. d.* 44. *nu.* 63. laudatus à Diana *par.* 2. *tr.* 13. *res.* 5.

Probatur Conclusio euidenter à priori, primo quia, quod aliquid in praxim licitè sit deducibile, non aliunde oritur, nisi ex eo, quod per iudicium speculatium sit probabiliter honestum. Hæc enim est vnica, ratio ex

qua cohonestantur actiones morales, nec alia potest assignari, nec à DD. hactenus fuit assignata; ergo ex hoc ipso, quod aliquod obiectum speculatiuè sit probabiliter honestum, statim erit eligibile, infallibiliter enim honestabit electionem sui; Impossibile est enim, quod posita causa adęquata formali honestatiua actuum voluntatis non sequatur effectus, hoc est actio honesta; sicut quia motiuum subueniendi pauperi per se intentum est constitutiuum actus in specie eleemosinæ, impossibile est, quod voluntas ex illo motiuo operetur, & non eliciat actum eleemosinæ. Sic pariter, quia honestas materiæ iudicata probabiliter est adęquata ratio constitutiua actus in specie Prudentiæ, & actionis honestæ; Impossibile erit, quod materia sit probabiliter honesta, & electio illius, ex hoc ipso non sequatur honesta, & in specie Prudentiæ.

Secundo. Quare cum omni opinione speculatiuè probabili non licet agere? fortene quia est periculum peccandi? Contra, quia periculum peccandi tollitur per hoc, quod quis in operando se conformet rectæ rationi, quæ demum resoluitur in iudicium speculatiuũ probabile, cum sufficienti diligentia factum; ergo ex hoc ipso, quod sumus in opinione probabili facta sufficienti diligentia, tali reperta, iam aberit omne periculũ peccandi. Forte ne quia noua opinio est? Contra, hoc nihil refert, nec enim motiuum agendi est nouitas; vel vetustas opinionis, sed eius veritas, vel probabilitas. Et, vt ait ille, omnia vetustissima aliquando fuere noua, neque tamen tunc, aut nunc minus vera. Fortene quia communiter illa opinio in praxi non vsurpatur? Contra etiam, quia probatum est iam contra commune factum, & communem opinionem nos posse ire, quando verè probabilis est opinio in contrarium. Quid

aliud

aliud potest excogitari? nihil; ergo &c.

DD. autem, qui docent aliquid speculatiuè probabile, in praxim deducibile non esse, possunt fortasse sic intelligi; quod solum velint, quod licet aliquid de nouo inuentum alicui speculatiuè videatur probabile, vnde possit speculatiuè defendi, quia videtur ipsi firma ratione munitum, non statim esse practicabile; quia potest esse, quod illa ratio sibi visa firma sit sophistica; vnde prius de illa agendum cum viris doctis, disputandum, & si firma inuenta fuerit, & facto sufficienti examine non erit concussa, tunc vtique id fieri etiam practicè probabile. Vnde erit idem ac dicere, tunc aliquid speculatiuè probabile non esse statim practicabile, quando cum fundamento potest dubitari de subsistentia eius probabilitatis; facta etiam experientia de probabilitate, tunc vtique practicabile esse, & licitè in praxim deducibile; quod verissimum est, & docuimus supra, dum asseruimus requiri certitudinem de probabilitate opinionis.

Superesset agendum de opinione minus probabili, an scilicet possit eligi, quando concurrit cum probabiliori, sed quia hoc est punctum principale hujus totius disputationis, & alioqui prolixa indiget discussione; ideo sit.

SECTIO QVARTA.

An licitum sit sequi partem minus probabilem, relicta probabiliori.

OPinionem minus probabilem licet concurrentem cum probabiliori adhuc remanere simpliciter probabilem, probatum est fusè *d. 2. sect.* 3. vnde ex hoc, & ex dictis in tota *hac* §. *disput.* satis clarè vide-

tur sequi pars affirmatiua, quam tamen placet vlterius conualidare *præsenti sectione*, tam ab extrinseco, scilicet auctoritate DD. quàm ab intrinseco, scilicet pondere rationum; argumenta autem in contrarium *sect. seq.* soluemus. Sit igitur.

Conclusio vnica.

LIcitè, & sine peccato possumus in praxim deducere opinionem, quam putamus minus probabilem, etiamsi concurrat cum probabiliori. Est contra Candidum, qui mordicus oppositum sustinet, quin illius gratia præcisè *opusculum suum de Opinionum praxi*, edidit.

Probatur Cõclusio. Primo ab auctoritate DD. quorum profectò suffragijs si hæc lis esset decidenda, prout communissimus est mos omnium Regnorum, & Prouinciarum, firmatus lege Theodosij anno Domini 435. omnes causas decidendi, quem morem dolet Candidus, & queritur *q. 5. arg. penult., & vltimo* non seruari in causis animæ, profectò actum esset de contraria sententia, quam ille tàm acriter tuetur.

Nam in primis pro nostra conclusione sunt omnes recentiores Theologi, tribus, aut quatuor exceptis; & quod maximi faciendum est, conspirarunt in hanc sententiam omnes PP. Societatis Iesu, secuti maxima illa sydera litterarij Cæli, Suarez, & Vasquez. His adde multos alios antiquiores Theologos, adductos in *hac d. 3. sect. 2.*, & multos Legistas, & Canonistas, quorum longum Catalogum legas apud Pasqualigum, *in decis. mor. decis. 5.* qui omnes in terminis hanc sententiam sequuntur; adeo vt de eorum mente dubitari non possit.

Et quod caput est, DD. qui pro parte opposita citantur;

tur; paucos excipe, nulli in terminis oppositum docēt, multi verbis obscuris loquuntur, modo vnam, modo aliā sententiā innuunt, & multi clarè nobiscū sentiūt.

Nam in primis Aristoteles cum antiquioribus Philosophis, quē pro se citat Candidus hic, nullibi hoc docet, nec per speciē, & principiū illud, ex quo infert Candidus illos ita sensisse, scilicet, quod nō liberum sit opinari, falsum est, & contra ipsos Philosophos, vt fusè supra. Augustinus, & Chrysostomus, quorum auctoritates allegantur, nullibi oppositam sententiam innuunt, & loca allegata non sunt ad rem, vt infra.

S. Thom. licet *quodl.* 8. *a.* 13. videatur oppositam sententiam innuere; (quamuis dictus articulus nihil probet, & vt à nobis explicato *d. p. sect. vlt.* ex illo nihil possit deduci) tamen *quodl.* 3. *a.* 10. nobis fauet; in quantum enim dicit posse quemlibet sequi opinionem sui Doctoris in ijs, quæ ad fidem, & bonos mores non spectant; in ijs vero, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, nullum excusari, qui sequitur opinionem erroneam alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium; alioquin excusationem haberent sequaces Arrij, & Nestorij; sic possumus arguere; ergo in ijs, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, excusatur quis, sequendo opinionē sui Doctoris si nō sit erronea, & contra manifestum scripturæ testimonium; quod est idem, ac quando est probabilis; patet consequētia, quia, exceptio firmat regulam in nō exceptis; ergo si S. D. excipit, quando opinio Doctoris est erronea, & contra manifestum scripturæ testimonium, sequitur, quod vbi talis error, & ad manifestum scripturę testimonium contrarietas non est, tunc possit quis illam pro libito sequi; sed sumus in casu, quando probabilis concurrit cum probabiliori, ergo &c.

Citatur

Citatur Scotus *in* 4. *d.* 11. *q.* 6. sed inmeritò; ibi enim non loquitur absolute, semper sequendam esse probabiliorem, sed in particulari materia scilicet sacramentorum; quærit enim ibi an amidum sit materia Sacramenti Eucharistiæ, & an possit consecrari; & respondet, quod cum sit materia multum dubia, peccat, qui illam consecrat, se siquidem exponit dubio; igitur non debet, ex hoc quod concedat in materia particulari sequendam probabiliorem, inferri; ergo etiam vniuersaliter in quacumq; materia idem censuit; ostendam enim infra, hanc illationem non valere,

Citatur Io: Maior *in* 4. *q.* 2. *prologi concl.* 3. *&* 5. *& contra* 5. *conclusionem*, qui re vera iure pro hac sẽtẽtia refertur; cuius tamen in hoc puncto, quanta sit auctoritas ex mox dicendis iudicent viri docti. *Concl.* 2. hic auctor dicit in materia fidei posse quemlibet sequi, quã partem voluerit; infero, quare negat hoc in materia morũ? nonnè tàm periculosè erratur in materia fidei, ac in materia morum? vt docet Cancell. Paris. allatus ex Nauarro *sect.* 2. Dices in materia fidei non est peccatum tenere vnam partem, vel alteram, nisi post definitionem Ecclesiæ. Bene; quare non id etiam in materia morum? sicut enim hic potest contingere, quod in re fiat materialiter iniustum; sic ibi, quod id, quod creditur, in re sit error, & materialiter hæresis. Præterea quid credendum ipsi in hoc puncto, qui *loco citato* §. 2. *arguitur contra secundam conclusionem*, dicit Thomistam tenentem B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali peccare, & esse imprudentem; quia oppositum est probabilius: nonne hic sibi contradicit, scilicet ijs, quæ dixerat *concl.* 2. Insuper hoc est manifestè falsum, & sine nota temeritatis asseri non potest; nam licet opinio de Immaculata Conceptione sit pro-

babilior,

babilior, & sola possit doceri, sola prędicari, & publicè de ea agi, non proinde opposita improbabilis remanet, vel temeraria, & illam in corde suo tenens non peccat. Legatur Bulla Greg. XV. anno 1622. vbi relinquitur omnibus libera facultas vtrumq; tenendi; & licet Sanctitas sua faueat magis sententiæ neganti conceptam Beatam Virginem fuisse in peccato originali; tamen protestatur, se propter hoc nullum prę iudicium velle inferre sententiæ affirmanti.

Hinc inferas pro nostra Conclusione hoc argumẽtum. In hac materia, quæ fidei est, (potest enim à Pontifice definiri, quidquid reclament nõnulli Thomistæ) libera relinquitur cuiq; facultas tenendi sine peccato quamlibet opinionem, etiam minus probabilem; ergo id etiam dicatur in materia morum.

Citatur Cancell. Paris. *in regulis moralibus;* sed ibi loquitur satis in abstracto, & in generali, vnde de eius mente non potest haberi certa notitia, præsertim cum videatur sensisse, & probasse oppositum, vt constat ex ratione ipsius *sect.* 2. ex Nauarro allata.

Citatur Henricus de Gandauo *quodl.* 4. *q.* 33. sed non est ad rem; quia loquitur de illis, qui ex temeritate, & contra conscientiam agunt, eo quia reputent mortale id, quod agunt; legatur in fine loci citati; vnde non sumus in casu minus probabilis, cum qua nec temerè, nec contra conscientiam agitur.

Citatur Silu. *in Summ. v. Dubium*, qui licet ibi, & *v. opinio*, videatur pro parte opposita sentire; tamen *v. Scrupulosus*, loquitur satis clarè pro nobis. Sic Angelus *in Summa v. opinio n.* 2. nostram Conclusionem sustinet, & probat, & refellit argumenta in contrariũ. Quod etiam fecerat Siluester *v. Scrupulosus*.

Neq; dicas cum Candido *q.* 8. hos DD. esse intelli-

gendos

gendos ijs in locis iuxta dicta superius. Contra enim est. Siquidem cur non potius dicis esse intelligenda superius dicta iuxta ea, quę inferius dicuntur; sẽper enim sequentia, & posteriora corrigunt priora, non è contra. Idem dic de Armilla, qui in hoc puncto variè loquitur; & ideo ab auctoribus variè refertur, modo pro hac, modo pro illa sententia.

Demum etiam citatur Nauarrus *in Man. a. nu.* 286. sed oh quam immeritò! nam ibimet *c.* 27. *n.* 288. traditis regulis, quas communiter tradunt DD. circa electionem opinionum, quæ pręscribunt semper probabiliorem esse sequendam, subiungit; *Quod hæ regulæ seruari debent regulariter in foro contentioso, non in foro conscientiæ; nàm ad non peccandum sufficit eligere opinionem, quàm meritò censemus esse viri docti, idonei, & conscientia præditi;* quod profectò idem est ac dicere, probabilem: Quod etiam clarissimè docet *cons.* 8. *de Pœnit. & remiss.* nam *n.* 3. docet, quod illiteratus, quęrens suum Parochum, quem putat sufficientem, licet nouerit esse in Vrbe doctiores, potest stare illius dicto, & illi se conformare in praxi; ait enim; *nemo tenetur in dubijs suis quærere doctiores; sed sufficit quærere idoneos simpliciter.* Et dat rationem; quia *Deus ex præcepto nõ obligat ad maius bonũ; sed ad bonũ simpliciter, & licet det consiliũ circa maius bonũ, sufficit ipsi, si impleatur bonitas præcepta.* Et *nu.* 6. dicit posse virũ doctum consultum de materia, circa quam sunt variæ opiniones respondere; posse vtramq; in praxim deduci, & consulentem posse tunc, quã voluerit amplecti. Quid clarius dici posset pro nostra sententia? quod si alicubi videatur Nauarrus oppositum innuere, intelligendus est in foro contentioso, vt ipse dicit *in Man. loco citato,* vel de consilio, vt innuit *cons.* 8. *cit.*

Igitur

Igitur cum tot DD. tanti ponderis pro nostra Conclusione in terminis militent, pauci admodum pro opposita, & illi quidem dubij appareant, & loquantur verbis non claris, & explicationem patientibus, quid dicendum? sanè ab extrinseco nostra sententia probabilior est; sed iam ad argumenta intrinseca gradum faciamus; & quidem præter dicta.

Probatur primo Conclusio quia, tunc quis potest licitè operari, & sine peccato, quando non modo probabiliter, sed euidenter iudicat suam actionem propriè dictam, seù electionem esse honestam; sic enim certus est se agere sine peccato; sed sequendo partem minus probabilem, quis est certus suam actionem, & electionem esse honestam; ergò sequendo partem minus probabilem, quis licitè operatur, & sine peccato. Minor, in qua est difficultas, probatur ex dictis, & probatis supra fusè; nam tunc quis est certus suam operationem, seù electionem esse honestam, quando obiectum, seù materia ipsius euidenter constat, quod sit probabiliter honesta: nec enim requiritur, quod iudicetur in se verè honesta per opinionem, & multò minus per scientiã. Sed qui sequitur partem minus probabilem, eligit obiectum, seù materiam, de qua euidenter cognoscit esse probabilem opinionem, quod sit honesta; minus enim probabilis adhuc simpliciter probabilis est, sicut minus calidum adhuc simpliciter est calidum: & vniuersaliter magis, & minus non variant speciem, iuxta fusè probata, & fortè euidenter demonstrata *d. 2. sect. 3.* ergo sequendo partem minus probabilem, quis est certus suam actionem esse honestam, ac proinde licitè operatur sine peccato.

Secundo, quia opinio minus probabilis etiam concurrens cum probabiliori temeraria non est, & illius

assertor nec temerarius, nec imprudens est; Non quidem imprudens ex hoc ipso, quod nō temerarius; nàm quod est imprudentia quoad agibilia, est temeritas quoad assertibilia, vt sic loquar. Quid enim est imprudenter agere? est formalissimè sine sufficienti fundamento, & ratione operari. Quid est temerè asserere? est formalissimè sine sufficienti fundamento, & ratione asserere; ergo ex hoc ipso, quod quis temerarius non est, imprudens profectò intellectualiter non erit. Modo sic; ergo nec imprudens, erit qui eligit, & in praxim deducit opinionem minus probabilem. Probo consequentiam. Imprudens non est, qui quod prudenter asseritur esse honestum, eligit; sed quod per minus probabilem asseritur honestum, prudenter asseritur tale, alias imprudenter assereretur tale, ac proinde temerè; Imprudentia enim quò ad assertibilia est temeritas; ergo imprudens non est, qui eligit, quod per minus probabilem asseritur honestum. Sed qui non est imprudens in agēdo licitè, & sine peccato operatur; ergo &c.

Confirmatur primo exemplo. Concilium Aquisgran. decreuit, & censuit nullo pacto, nec etiam cum consensu parentum posse raptas nubere raptoribus; vt refertur *in c. Placuit* 36. *q*. 2. solus D. Hieronymus se oppofuit Concilio; & contra sensit posse raptores raptas ducere in vxores. Certè erat tūc probabilior sentētia vniuersi Concilij, quam solius Hieronymi, vel ex sola auctoritate; & nihilominus dicta auctoritas Concilij non præiudicauit Hieronymo, quo minus eius sententia probabilis non esset, & licitè in praxim deducibilis, & raptores cum raptis contrahentes de consensu parentum non peccabāt. Legantur adnotationes in *d. c. Placuit.* Ergo vide quid sequitur. Vnus Doctor Classicus facit opinionem probabilem, vel contra communem

munem Concilij sensum, quando rem de fide non definit; ergo opinio vnius licet minus probabilis non est temeraria; ergo licitè in praxi possumus sequi opinionem minus probabilē concurrentē cum probabiliori.

Confirmatur secundo. Prudenter agit, qui eligit, quod præconsultatum est honestum; sed qui sequitur minus probabilem, eligit præconsultatum honestum; minus enim probabilis opinio est quoddam consilium, est quędam sententia, quæ pensatis omnibus dictat suū obiectum honestum; ergo qui illam sequitur, prudenter agit.

Dices. Illud non est consilium bonum, quia firmius consilium est in contrariū, nempe opinio probabilior.

Contrà. Illud Consilium, quod appellas non bonum, estne cum sufficienti fundamento veritatis, vel non? Si secundum, ergo temerarium, ac proinde non erit opinio minus probabilis, sed error. Si primum, quare non bonum? quia firmius in oppositum. Hoc nihil refert. Illud enim erit melius, sed non proinde hoc cessabit esse bonum. Certè hoc difficile capitur; possum ego minus probabilem etiam circa materiam fidei, & morum sustinere, defendere, in publico asserere; nullus me accusabit imprudentiæ, nullus temeritatis; vnde prudenter asserere dicendus ero; & postea si hanc volo in praxi sequi, dicar imprudens? & quare? quia sunt fortiora motiua in contrarium? Quęso, quia sunt fortiora motiua in contrarium, imprudenter agam; & quia sunt fortiora motiua in contrarium, non imprudenter asseram? hoc difficile capitur; quæ vel per vmbrā disparitas.

Dices. Ad prudenter agendum, debent expendi omnia motiua, & fortiora debemus sequi: est enim periculum peccandi.

Contra tamen est, quia nullum est periculum pec-

candi, si semel concedatur, quod prudenter agamus; hoc est autem, quod quærimus, quare prudenter non agam, etiamsi non sequar fortiora motiua, omnibus expensis; sicut omnibus expensis, licet non sequar fortiora motiua in asserendo, adhuc prudenter assero. Quod si fortè diceres, prudenter non asserere, qui sequitur imbecilliora motiua, & qui defendit partem minus probabilem; vide quid sequatur; ergo omnes sustinentes opiniones minus probabiles, tamquam imprudentes intellectualiter, hoc est temerarij damnãdi sunt; ergo opinio minus probabilis ex hoc ipso temeraria erit, & error. Quis hæc proferat?

Tertio. Probatur Conclusio argumento *Vasq. in primam secundæ d.* 62. de subdito; cuius robur sic expendo. Certum est, & indubitatũ apud omnes, etiam apud Candidum *q. 5. in resp. ad decimum*, quod potest subditus parere Superiori præcipienti aliquid secundũ opinionem minus probabilem honestum, quod subditus probabilius iudicat inhonestum. Dixi, quod potest, quia hoc certum est contra Adrianum *quodl. 2. p. 3.* negantem subditum posse obedire. Et videtur clarè desumptum ex Aug. relato *in c. quid culpatur 23. q. prima*, aiente. *Vir iustus, si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* Disputant autem DD. tantum, an teneatur obedire, modo sic.

Subditus de obedientia Superioris potest in praxi sequi opinionem minus probabilem; ergo etiam simpliciter potest illam sequi in quocumq; casu; probo cõsequentiam. Vel sequi opinionem minus probabilem in praxi est de se, & sua natura licitum, vel non. Si primũ; in quocumq; casu poterit; Si secundum, nec accedente

obe-

obedientia Superioris poterit. Quacumq; enim obedientia Superioris accedente nequit subditus facere, quod ex se, & ex sua natura illicitum est; ea enim, quæ de sua natura illicita sunt, obedientia Superioris non reddit licita: solũ enim reddit licita ea, quæ illicita alioquin essent vi eiusdem obedientiæ. Cęterum an sit licitum sequi opinionem minus probabilem, ex nulla obedientia dependet, sed ex natura rei; non enim ideo hoc est licitum, vel illicitum, quia prohibitum, vel concessum sit.

Respondebis ex Candido *loco citato*, subditum ex obedientia benè posse, immo debere sequi partem minus probabilẽ, quando secundum illam imperat Superior, quia in eo, in quo Superior non aduersatur certò legi diuinæ, tenetur subditus obedire. Vnde actio illa, quę alioquin, si ex arbitrio subditi pẽderet, illicita esset, vt pendet ex obedientia Superioris, licita euadit, & talis certò iudicatur, etiam à subdito; quia scit Superiori esse obediendum, vnde agit secundum conscientiam.

Contra tamen euidenter, quia actio illa, licet à Superiore præcepta, adhuc est in se minus probabiliter honesta; nec enim obedientia Superioris auget probabilitatem scientiæ, quæ dictat illam esse in se honestam; vnde sententia dictans talem actionem esse honestam, si antecedenter ad obedientiam est minus probabilis, etiam post illã remanet minus probabilis. Quod prętérquam quod de se est euidens, vlterius patet, quia alias si opinio accedente obedientia Superioris fieret probabilior, iam subditus non sequeretur minus probabilem, sed probabiliorem; ergo re vera sequi minus probabilem non est de se, & sua natura illicitum; alias nec ex eo, quod penderet ab obedientia fieret licitum; sicut ex eo, quod ex sua natura illicitum sit mentiri,

nec

nec accedente obedientia Superioris mētiri possumus.

Dices. Scit subditus Superiori in illo casu esse obediendum; quia certò non aduersatur legi diuinæ, eo quod imperet actionem minus probabiliter honestā; secus de mendacio, quod est certò illicitum.

Bene. Sed ex hoc quid infertur? Infertur, deducere in praxim opinionem minus probabilem, non esse de sua natura illicitum, alias nec Superiore præcipiente posset fieri licitum. Vide enim: distinguenda sunt hæc duo: scit subditus se posse actionem imperatam exequi: cum hoc tamen etiam scit, actionem imperatam esse minus probabiliter in se honestam, nec ex hoc, quod imperetur, fieri in se probabilius honestam. Vnde sic claudo argumentum. Scit subditus se non posse in praxim deducere, quod in se est illicitum, licet à quocumq; Superiore imperetur, nec obedientia Superioris illicitum in se, & ex sua natura potest reddere licitum; sane enim obedientia nunquam facit vt possis, sed vt debeas, supponit quod possis, & præscribit, vt debeas. Sed subditus scit se posse, in praxim deducere opinionem minus probabilem, seù materiam minus probabiliter honestam, imperante Superiore; ergo deducere in praxim opinionem minus probabilem non est de se, & sua natura illicitum. Hęc mihi videtur euidens demonstratio.

Dices. In eo casu sequitur subditus probabiliorem opinionem, quæ dicit esse obediendum, seù posse obedire.

Bene. Immo sequitur sentētiam certam; ergo quid? fortasse non sequitur minus probabilem? immo sic, hęc enim scientia certa præscribit, vt sequatur in praxi minus probabilem; vnde semper accedente obedientia Superioris, sequitur minus probabilem, & licitè agit;

ergo

ergo de sua natura sequi minus probabilẽ,licitum est.

Respondebis secundo. Subditum posse sequi minus probabilem, quia potest ex obsequio debito Superiori putare opinionem Superioris esse probabiliorem, & illi assentiri; & sic semper sequitur probabiliorem.

Sed hæc responsio multipliciter deficit; primo à Candido dari non potest, est enim contra ipsius principium fundamentale in hac materiâ,quod scilicet non sit liberum opinari. Secundo,licet subditus possit pro libito opinioni Superioris assentiri, non tamen potest illam iudicare probabiliorem, quia maior probabilitas euidenter constat in parte opposita. Tertio, quia sic sumus extra casum argumenti, quia tunc subditus non sequitur minus probabilem, sed probabiliorem.

Quarto probatur. Quia dato,quod teneamur sequi probabiliorem, sequitur quod ferè semper teneamur sequi tutiorem; quod negant DD. omnes,etiam aduersarij, & cum cęteris ipse Candidus *q*. 7.& quidem meritò, nam aliàs euaderemus ridiculi, vt ex DD. Antonino, & Ambrosio ostendit Candid. *loco citato*. Probatur sequela,quia ferè omnia agibilia posita sunt sub opinionibus contrarijs, & raro admodum contingit, vt vna opinio sit notabiliter probabilior altera, pręsertim in ijs, quæ etiam de præsenti vigent controuersia apud DD., vt patebit discurrenti per singulas materias; paucæ enim admodum quęstiones sunt in quibus clarum sit vnam partem, seù opinionem esse notabiliter probabiliorem. Igitur communiter,& generaliter debemus sequi tutiores; nam quando contingit opiniones contrarias ita se habere, vt vna non sit notabiliter probabilior altera, (nàm si parùm; hoc nõ sufficit,quia, vt passim in pręsenti ait Candid. parùm pro nihilo reputatur) volunt aduersarij nos teneri sequi tutiorem.

Hinc

Hinc vę ſcrupuloſis, ſi teneantur inquirere, quænã opinio ſit notabiliter probabilior; concurrentibus hinc, & inde grauium DD. ſententijs. Sed quid dico vę ſcrupuloſis? vę fidelibus omnibus, vę Doctoribus, atq; Magiſtris. Quomodo enim poterunt exceſſum probabilitatis notabilem in vna opinione ſupra aliam adinuenire regulariter? dubitabunt profectò maximè; & ſi dubitabunt, quomodò ipſi poterunt agere, & alijs conſulere? eſtne fortaſſe ita facilè diſtinguere, quæ ratio ſit alia firmior, & quidem notabiliter, quæ auctoritas ſit alia notabiliter grauior.

Vrgeo; ferè nunquam conſtabit euidenter de exceſſu notabili probabilitatis vnius opinionis ſupra aliam. Igitur, & hoc erit ſub opinione poſitum, quænam ſit altera probabilior; igitur, & hoc erit etiam inquirendũ, & diſputandum, quęnam opinio ſit probabilior, an illa, quæ dicit vnam opinionem eſſe notabiliter probabiliorem, an quæ negat; & ſic ſequetur proceſſus in infinitum, & ſic nunquam poterimus agere; nam etiam de his opinionibus reflexis non conſtabit, quæ ſit notabiliter probabilior altera, & ſic hoc erit opinandum; & quia hoc opinabitur, & non ſcietur, inſurgent alię opiniones, quarum probabilitas ſecundum modum notabilem exceſſus erit dubia, & ſic in infinitum.

Dices. Ad agendum ſufficit, quod quis formet ſibi conſcientiam de parte probabiliori, hoc eſt opinetur ſe ſequi probabiliorem.

Bene; ſed certè non ad libitum poteſt quis ſibi formare conſcientiam de parte probabiliori, ſed quia habeat rationes ad ſic opinandum, quæ ſint fortiores notabiliter, quàm oppoſitæ. Verùm quia hoc opus, hic labor eſt, hæc diſcernere, ideo dubitabit, an verè ſequatur partem probabiliorem, & an opinio, qua putat ſe ſequi

partem

partem probabiliorem, sit notabiliter probabilior, quàm opposita, quae negat se sequi partem probabiliorem notabiliter; ideo angustiæ, ideo scrupuli, ideo processus in infinitum.

Quinto demum probatur Conclusio ex omnibus illis argumentis, quæ passim pro nostra sententia congerunt Patroni nostræ sententiæ; quæ profectò licet adducat, non soluit Candidus, quia ad illa soluenda assumit principia omninò falsa, prout ostendimus fusè supra; scilicet quod opinio minus probabilis non est simpliciter probabilis, quod minus probabilis non potest gignere assensum, & quod non sit liberum opinari; quæ principia, quia sunt cardines sententiæ, quam Candidus sustinet, & quia, ni fallor, ex dictis in hoc toto opusculo corruunt, etiam ipsius sententiam corruere necesse est. Sed iam Candidi argumenta soluamus.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

IAm vidimus initio *sectionis præcedentis*, quantum roboris habeant argumenta extrinseca pro parte opposita; nunc intrinseca examinanda sunt, quæ omnia quia fusè, & subtiliter expendit Candidus ideo eo ordine, quo ab ipso posita sunt *sect. v.* nos illa diluemus.

Primum est. Non est liberum opinari; ergo partem minus probabilem non possumus opinari veram; sed sequi non possumus in praxi illam partem, quam non possumus opinari veram; ergo non possumus sequi in praxi minus probabilem.

Secundum est. Ad hoc, vt quis prudenter agat, debet ad minus habere iudicium probabile, quod sit licitum id, quod agit, sed qui sequitur minus probabilem

non potest habere hoc iudicium, habet enim fortiora motiua in contrariũ, quod sit illicitũ, nec enim est liberum opinari; ergo qui sequitur minus probabilem, prudenter non agit.

His duobus argumentis vnica responsione fit satis, quia ambo nituntur illi principio, quod non sit liberum opinari, quod est falsum; possumus enim opinari, quando volumus, & licitum, quod volumus, dummodo pro licito habeamus rationes firmas, & validas, etiamsi in oppositum sint rationes fortiores.

Addo ex dictis supra, quod ad prudenter agendum non sufficit iudicium probabile, quod licitum sit agere, seù eligere id, quod eligitur; sed requiritur iudicium euidens; quod quidem etiam interuenit, quando eligitur in praxi minus probabilis; iudicium enim de licito non debet esse, de licito secundum se, seù de materia electionis secundum se, hoc enim vniuersaliter iudicium non requiritur; sed solum de licito opinionis, seù de licitè eligibili. Illud autem certò est licitè eligibile, quod probabiliter, siuè magis, siuè minus est licitũ secundum se, seù de quo datur probabilis opinio simpliciter, quod sit in se licitum, & honestum: siuè contraria probabilior sit, siuè non. Quia ergo quando sequimur minus probabilem, adhuc est certum dari opinionem probabilem simpliciter, quod materia electa sit licita in se, ideo euidenter sequitur esse licitè eligibilẽ, & electionem nostram esse certò in se formaliter, & per se honestam.

Tertium est. Ad licitè agendum non sufficit iudicare probabile esse, quod aliquid sit honestum, sed debet iudicari verè esse honestum; sed non potest iudicari aliquid verè esse honestum, quando probabilius est, esse inhonestum: debet enim intellectus iudicare secundũ

fortiora

fortiora motiua, cum non sit liberum opinari; ergo nõ potest in praxi eligi pars minus probabilis. Maior probatur, quia alias, quia vtraq; est probabilis, & alterutra debet esse falsa, promiscue eligerem, & amarem tam veram, quàm falsam; immò magis amarem falsam, quã veram; nam eligerem partem, quę quia est minus probabilis, minus habet de veritate. Insuper ex communi consensu DD. requiritur iudiciũ probabile, quod actio sit licita; ergo non sufficit iudicare probabile esse, quod sit licita; hoc enim secundum iudicium est omninò diuersum à primo; tùm quia hoc est scientificum, illud probabile; tum quia cum hoc stat iudicium item scientificum, quod sit probabile actionem esse inhonestam; at verò cum primò non stat aliud iudicium, quod actio sit illicita: vnde cum primo iudicio probabili non stat dubium de illicito, secus cum secundo scientifico. Sed cum dubio de illicito non possumus progredi ad opus, alias tàm ageremus licitum, quàm illicitum; ergo &c.

Hoc argumentum claudicat in vtraq; propositione. Minor absolutè est falsa; maior eget explicatione. Ad licitè agendũ nõ sufficit iudicare probabile esse, ꝙ aliquid sit honestũ: si sermo sit de materia operationis, seù de materia eligenda falsa est maior; hoc enim sufficit ex fusè probatis supra: si verò sermo sit de ipsa actione, seù electione, verissima propositio est; requiritur enim iudicium euidens, & certum, quod ipsa operatio, ipsa electio in se, & per se formaliter sit honesta; quod quidem iudicium etiam interuenit, quando in praxim deducitur minus probabilis. Rectitudo enim, & honestas per se, & intrinseca in operatione, seù electione, dependet ex probabilitate honestatis materiæ eligendę; quæ quia interuenit, etiamsi materia minus probabiliter iudicetur honesta; ideò absolutè tunc simpliciter

prudenter, & licitè agitur ſine peccato.

Ad probationes maioris. Ad primam dico, quod quando vtraque eſt probabilis, licet alterutra debeat eſſe falſa, ego tamen neſcio, quæ illa ſit; vtraq; enim apparet vera, & quamcumq; ſequor, ſemper ſequor ſub ſpecie veri; vnde ſemper moueor à veritate, quæ cum fundamento apparet. Et hinc non perinde amo falſum, ac verum, ſed formaliter ſolum amo verum, quia ſolum à vero, ſolũ ab apparentia fundata veritatis moueor; quæ quia in vtraq; parte eſt, ideo in vtramq; partẽ, & intellectus, & voluntas ferri licitè poſſunt. Quod autem alterutra ſit falſa, hoc eſt ex neceſſitate materię; quam quidem ſi certò agnoſcerem, illam fugerem: verum quia pro imbecillitate ingenij non agnoſco, & vtraq; mihi proponitur ſub ſpecie veri, ideò vtramq; ſequendo, ſemper ſequor verum, & à vero moueor. Neque verò ſequendo minus probabilem magis amo falſum, quàm verùm, quia minus probabilis, non per hoc eſt falſa; & licet minus habeat de apparentia veritatis, habet tamen quantum ſufficit, vt poſſit prudenter iudicari vera, vt fusè probatum eſt ſupra; ideo &c.

Ad ſecundam. Quidquid ſit de modo, quo loquuntur Patroni noſtræ ſententiæ, qui profectò vt *d. p.* adnotaui in hac materia, confusè loquuntur, & confundunt materiam electionis cum ipſa electione. Dico, quod ad licitè agendum non requiritur iudicium probabile, quod actio ſit licita; nàm ſi nomine actionis intelligatur electio, requiritur iudicium euidens; ſi verò nomine actionis intelligatur materia, ſeu obiectum electionis, tale iudicium actu non requiritur; ſed ſolum requiritur iudicium euidens, quod probabiliter talis materia ſit licita, ſeu quod detur probabilis opinio de licito, & honeſtate ipſius. Ex quo ſecundo iudicio euidenter

denter oritur primum, quod nempè electio sit certò honesta; licet autem cum hoc secundo stet iudicium etiam euidens, quod etiam materia sit probabiliter inhonesta; non tamen proinde ex hoc potest inferri, quod etiam possit stare aliud iudicium siue euidens, siue probabile, quod electio sit inhonesta, & illicita; quia ad electionem reddendam inhonestam, non sufficit, quod sit probabile materiam electionis esse inhonestam; sed requiritur essentialiter iudicium, quod non sit probabile materiam esse honestam. Vnde vides, quod licet cũ iudicio euidenti, quod materia sit probabiliter honesta, stet dubium de illicito, vel illicito ipsius secundum se, non tamen stat dubium de honestate actionis, seu electionis, quæ per se formaliter attenditur. Sed hæc satis superq; supra sunt explicata; sicut etiam ostensum est cum dubio speculatiuo circa materiam electionis orto ex rationibus hinc, & inde probabilibus posse quem licitè agere, & suam actionem, seu electionem futuram formaliter certo honestam.

Quartum est. Qui non sequitur dictamen rationis, non licitè agit; sed qui sequitur minus probabilem, non sequitur dictamen rationis: dictamen enim rationis est, vbi ratio inclinatur ad assensum; minus autem probabilis concurrendo cum probabiliori non potest inclinare ad assensum, quia intellectus solum inclinatur, vbi sunt fortiora motiua, nec enim est liberum opinari; ergo intellectus sequendo minus probabilem, non licitè agit.

Ad hoc argumentum respondetur in primis negãdo minorem; innititur enim falso illi principio, quod non sit liberum opinari. Sed vlterius ex dictis *d.p. sect.4.* dictamen rationis, seù recta ratio, quæ requiritur, & quam sequi debemus ad agendum sine peccato, nõ est iudi-

iudicium probabile magis, vel minus; sed Conclusio euidens ex præmissis euidentibus illata, asserens non materiam electionis, sed ipsam electionem, ipsam actionem antonomasticè esse honestam; quæ quidem oritur ex illis principijs, Electio, cuius materia est probabiliter honesta, seù de qua est euidens dari opinionẽ probabilem, quod sit honesta, est certò honesta in se, & hic, & nunc ponibilis sine peccato. Sed hic, & nunc de hac materia est probabilis opinio, quod sit honesta. Ergo certum est, & euidens hanc electionem esse per se formaliter honestam, & hic, & nunc ponibilem sine peccato. Qui syllogismus subsistit etiam, quando sequimur minus probabilem. Falsò igitur supponit Candidus, quod dictamen rationis sit iudicium probabile de honestate materiæ; videantur dicta loco citato.

Quintum est. Qui sequitur minus probabilem relicta probabiliori, non adhibet moralem diligentiam, ne erret; ergo peccat. Antecedens probatur; qui sponte media minus probabilia adhibet ad finis assecutionem, profectò non adhibet moralem diligentiam ad finem assequendum; quia sicut ratio diligens in pluribus non fallitur, sic è contra qui sequitur minus probabilia, vt plurimum fallitur. Sane maior ratio est existimandi illum falli, qui minus certa signa veritatis sequitur, quam qui certiora, & minus fallibilia; ergo &c.

Resp. quod si homo teneretur summam moralem diligentiam, quam potest, adhibere, ne erret, fortasse argumentum haberet vim; cæterum hoc falsum est, vt enim benè Nauar. *sect. præced.* citatus, Dominus Deus non obligat ad maius bonum, sed ad bonum simpliciter, nec tenemur quærere, & consulere doctiores, qui sint in orbe terrarum, sed tantum idoneos simpliciter; vnde ad non peccandum, & seruandum

præce-

præceptum Dei sufficit adhibere sufficientem diligentiam moralem, non verò summam, non verò maximam, sic adhuc enim prudenter agimus; talem autem diligentiam profectò adhibemus, cum minus probabilem sequimur; sequimur enim sufficiens fundamentũ veritatis firmum, & validum, quantum sufficit ad prudenter asserendum, & per consequens ad prudenter agendum.

Quin, & hoc argumentum in terminis potest retorqueri ad probandum peccare, qui non ingreditur Religionem, sed permanet in sęculo, sic. Qui permanet in sęculo, cum possit ingredi Religionem, non adhibet moralem diligentiam, ne pereat in æternum; ergo peccat. Tenemur enim adhibere moralem diligentiã, ne peccemus, & ne damnemur. Antecedens probo iisdem terminis Candidi. Qui spontè minus probabilia, & minus conducentia media eligit ad finis executionem, non adhibet moralem diligentiam ad finem assequendum, quia media magis conducentia, minus aberrant à scopo, quam minus conducentia; & sanè est maior ratio existimandi, non aberraturum à scopo, seù fine, qui eligit media magis conducentia, quam qui minus. Sed qui remanet in sęculo, media minus conducentia eligit ad vitam ęternam, quam qui ingreditur Religionem; status enim Religiosus est magis conducens ad vitam æternam: & est maior ratio existimandi periturum in æternum sęcularem, quam Religiosũ; ergo qui Religionem non ingreditur, non adhibet moralem diligentiam, ne pereat in æternum, quam certè tenetur adhibere; ergo peccat. Ecce in terminis argumentum, quod applica, si placet, etiam ad peccandum actualiter, facto antecedenti hoc pacto. Qui remanet in sęculo, non adhibet moralem diligentiam, vt vitet

pecca-

peccata actualia; ergo peccat, hanc enim quisq; tenetur adhibere; probetur postea antecedens, vt supra applicatis terminis.

Quid respondebit Candidus? Profectò dicet non teneri hominem adhibere summam diligentiam moralem, maiorem quam potest, hæc enim tantum est de consilio, non de precepto: sed tantum sufficientẽ; hanc autem etiam adhibere in seculo stantem; ideo &c. Bene, sed hæc est ipsissima nostra responsio.

Dicet fortè Candidus esse disparitatem, quia vterq; status secularis scilicet, & Religiosus est simpliciter bonus ad salutem; at vero ex duabus opinionibus altera est vera, altera falsa.

Sed contra, quia ex duabus opinionibus, quando vtraq; est verè probabilis, vtraq; est simpliciter bona ad honestè agendum; nec enim ad hoc requiritur veritas, vel falsitas opinionis in re; sed solum species, & apparentia veritatis cum fundamento valido: quæ profectò in vtraq; reperitur; vnde falsitas opinionis in re materialiter se habet; sed non est imputabiliter ad culpam.

Resp. secundo. Eum qui sequitur minus probabilẽ adhibere summam diligentiam, quam requirit finis assecutio; nàm adhuc infallibiliter finem consequitur, nempè honestam electionẽ, ad quàm tàm minus probabilis, quàm probabilior est medium omnino infallibiliter conducens. Igitur sufficit, quod sequatur minus probabilem, est enim certus cum illa, se non posse errare à fine, quem solum debet intendere, nempe honestam actionem, seu electionem.

Confirmat precedens argumentũ Candidus. Nullus dicet moralem diligentiam adhibuisse ad cognoscẽdam, & eligendam veram monetam, bonumq; equum, illum, qui pensatis omnibus eligit monetam, & equũ,

quæ

quæ minora habent ſigna bonitatis. Concludit deinde, qui non ſatagit, vt cognoſcat, & agat iuſtum, non agit iuſtè.

His exemplis verè plauſibilibus multum fidit Candidus. Reſp. autem facile, quod ſi ex duabus monetis habentibus inæqualia ſigna veritatis, vtraq; habeat ſigna talia, vt ſufficientia ſint ad hoc, vt ab omnibus æſtimentur veræ, & pro talibus ab omnibus habeantur; & re vera cum illis ſignis ſufficiant ad rerum emptionem; tùnc licet altera ſigna maiora habeat; adhuc prudenter eligetur minora ſigna habens; quia ſcilicet æqualiter inſeruiet, & dicetur facta ſufficiens diligentia moralis, licet non ſumma. Idem dicas de equo proportione ſeruata; quod ſi res non ita ſe habeat, ſed ex eo, quod poſtea non eſſet moneta in re vera, & equus in re bonus, ſequeretur damnum ementi, tunc profectò concedam vltro, quod ille non diceretur feciſſe ſufficientem diligentiam moralem. Et ratio eſt, quia tunc non attenditur ſufficiens apparentia, ſed veritas ipſa; at vero in caſu noſtro res ſe habet primo modo, non ſecundo: quia noſtræ operationes erunt infallibiliter monetæ bonæ pro regno cæleſti, dummodo habeant pro obiecto materiam probabiliter ſimpliciter honeſtam; quia vt bene Nauarr. Deus non quærit maius bonum, ſed bonum ſimpliciter; non quærit Deus, quod materia in ſe ſit verè honeſta; ſed ſolum, quod prudenter iudicetur; vel iudicari poſſit honeſta; quod contingit etiam, quando ſequimur minus probabilem.

Ad concluſionem argumenti dico, ſequentem minus probabilem, ſatagere, quantum ſufficit, vt cognoſcat iuſtum, & in praxim deducat iuſtum; vndè infallibiliter iuſtè agere.

Sextum eſt. Ait Tullius in lib. de ſenectute. *Ma-*

gna felicitatis esse, saltem in senectute veras opiniones assequi. Sed verę opiniones (ait Candidus) non possunt esse demonstrantes; aliàs non essent opiniones; ergo erunt magis probabiles; ergo cum veras opiniones teneamur sequi, tenemur sequi magis probabiles.

Ad hoc argumentum dico primo Tullium, per ly veras opiniones, intelligere idem, ac veras sententias, & certiorari formaliter de veritate rerum. Quid autem hoc cum præsenti quæstione? Secundo esto, intelligat probabiliores opiniones; est magnæ felicitatis illas possidere, esto; ergo debemus semper illas sequi, nego consequentiam; vndè hoc infertur? tenemur ne fortasse ad ea, quæ maioris felicitatis sunt; vel maioris quæ sunt adiumenti ad veram felicitatem? naturalem præcipuè? quis hoc dicat?

Confirmat ex Aristotele 2. *de anima t.* 182. aiente, *intelligere, in quo est rectè quidem, Prudentia, scientia, & opinio vera; non rectè autem contraria horum*; ex quo sic arguit; intelligere, & sapere est sequi opiniones veras; sed qui sequitur minus probabiles, vt plurimum errat; quia humana ratio post diligentem discussionem, vt plurimum non errat; ergo qui sequitur minus probabiles nec sapit, nec prudens est.

Resp. primo hunc textum potius esse contra Candidum; nam Aristoteles ait, *in rectè eligere esse Prudentiam, Scientiam, & Opinionem veram*. Ergo rectè intelligit, qui prudenter intelligit; sed prudenter intelligere non potest secundum mentem Aristotelis esse, opinari vera; quia contra distinguit in hoc textu Prudentiam ab opinione vera; ergo prudenter intelligere non desumetur ex hoc, quod est errare, vel intelligere, seu opinari verum; sed solum ex hoc, quod est intelligere, seu opinari aliquid cum valido fundamento.

Quod

Quod contingit etiam, quando sequimur minus probabilem; ergo qui sequitur minus probabilem, prudenter intelligit, & per consequens rectè.

Resp. secundo, quod qui sequitur minus probabiles, an rectè sapiat, vel intelligat, nullus scit; quia etiã hæ possunt esse veræ, & probabiliores falsæ, cum multa falsa sint probabiliora veris; vnde an pro veritate rectè sapiat, non possumus scire; sicut nec, an vt plurimum opiniones minus probabiles sint falsæ; raro enim admodum de aliqua opinione certioramur; & frequenter contingit, quod, quæ modo sunt minus probabiles, eædem euadant probabiliores, & è contra probabiliores euadant minus probabiles. Prudenter autem sapit, qui sequitur minus probabiles, quia nesciens, an sub his, an sub alijs lateat error, sequitur valida signa veritatis. Præsertim cum prudenter sapere, sit bene in ordine ad finem sapere, hoc est, ad non peccandum, quem finem infallibiliter consequitur, ex dictis supra, eligens minus probabiles.

Insuper retorqueo hanc instantiam, quia, si habet vim, hanc habet. Qui sequitur, quod vt plurimum est error, errat, & prudenter non agit. Sed sic contingit, sequendo minus probabiles; ergo &c. sic illã retorqueo. Qui ingreditur viam, in qua pauci admodum non aberrant à scopo per se formaliter intento, plurimi autẽ errant, relinquens viam, in qua multi non errant, & pauci errant, errat, & prudenter non agit. Sed sic facit, qui manet in sęculo, cum possit ingredi Religionem; ergo qui manet in sęculo, errat, & prudenter non agit. Quid dicet Candidus? Posse homines in sęculo simpliciter non errare à scopo, nempè vita æterna. Benè sed dico etiam ego, possunt simpliciter minus probabiles non esse falsæ, sed veræ; ideo &c.

Confirmat ſecundo quia, ſequendo minus probabiles, corrumpentur mores in Eccleſia Dei, & ſana doctrina. Mores, quia introductio falſarum opinionum, corruptio morum eſt. Minus autem probabiles vt plurimum falſæ ſunt. Sana doctrina item, quia ſana doctrina eſt vera, doctrina autem minus probabilis, vt plurimum eſt falſa. Sic ergo introducetur doctrina non ſana, errores, mores mali, peccata ſaltem materialia, quæ poſtea euadent formalia, quia non adhibeatur debita diligentia ad vitandos errores, qualem non adhibet, qui data opera eligit, quod magis peccatum eſt, & falſitas; vt ſunt opiniones minus probabiles. Vnde docuit S. Thomas *opuſc.* 8. *a.* 13. eum peccare, qui licet non putet, facit contra legem, ſi nempe non adhibuit debitam diligentiam.

Reſp. Quod dicere, per introductionem opinionum minus probabilium corrumpi in Eccleſia Dei mores, & ſanam doctrinam, eſt fortaſſe nimis animosè dictũ. Quomodo enim opiniones minus probabiles, quas Eccleſia nec improbat, nec vlla afficit cenſura, appellantur morum, & ſanæ doctrinæ corruptiuæ? Si hoc eſſet, ſane vel hoc ſolo titulo abigerentur, damnarentur, & à ſacræ fidei quæſitoribus prohiberentur; prout videmus fieri in libris bonorum morum, vel ſanæ doctrinæ corruptiuis. Igitur falſum eſt, quod aſſeritur. Neq; valet dicere, quod vt plurimum minus probabiles falſę ſunt; quoad vſq; enim de earum falſitate non conſtat, habent ſufficientem apparentiam veritatis; & ſicut certum eſt illas poſſe eſſe veras, ita ex dicto valido fundamento poſſunt hic, & nunc prudenter iudicari veræ; & ſicut licet in ſtatu ſęculari, vt plurimum, ſaltem comparatiuè ad ſtatum Religioſum; homines damnentur, adhuc tamen quiſq; prudenter eligit illum ſtatum, quia

ſcili-

scilicet in illo simpliciter saluari potest; ita dato, & non concesso, quod vt plurimum minus probabiles falsæ essent, adhuc tamen quisq; potest, quamcumq; in particulari eligere, quia quælibet simpliciter potest esse vera, & habet validum fundamentum veritatis. Idem dicatur de sana doctrina.

Addo, quod illa non est sana doctrina, quæ vera est formaliter, sed quæ animarum consulit sanitati; talis profecto est minus probabilis ex dictis supra; ideo &c. Ad illud verò, quod qui sequitur minus probabilem, se exponit periculo peccandi, hoc nihil est; neque hoc potest appellari periculum, quando quis facit sufficientem diligentiam, ne peccata materialia committat, qualem facit, qui minus probabilem sequitur; licet non summam, ad quam non tenetur. Per quod etiam patet ad auctoritatem adductam D. Thomæ.

Septimum est. In negotijs corporis, vbi agitur de proprio interesse, nullus sequitur minus probabilem; & si vult aliquid, non eligit media minus verosimilia, quod conducant ad illud; & si id faciendo, finem non assequeretur, profecto negligentię ipsius imputaretur; vt patet in exemplo supra allato de emente equum, & eligente monetam, minora signa habentem bonitatis; qui argueretur vtiq; & culparetur de male acto domini sui negotio; ergo idem dicendum, & faciendum in negotijs animæ.

Resp. Primo negando consequentiam. Deus enim non obligat nos ad agendum tanta pro salute animæ, quanta agimus sponte pro salute corporis; quod quidem præterquam quod est clarum de se; patet vlterius hoc exemplo. Quis est ex hominibus, qui iter facturus ad aliquam Ciuitatem mari, si potest, non eligat potius nauim tutiorem, quam minus tutam, nauim in

qua pauci soleant perire, & naufragari, quàm illam, in qua multi, & vt plurimum pereunt; & quis hominem eligentem nauim, in qua plurimi naufragantur non reprehenderet, imprudentiæ argueret, & prope stultum appellaret? Certè omnis. Et tamen nos, qui peregrinamur ad Patriam cælestem, non tenemur sub nota imprudentiæ, & stultitiæ, ingredi nauim religionis, in qua plurimi saluantur; sed prudenter adhuc eligimus nauim minus tutam vitę sęcularis; ergo &c.

Resp. Secundo, disparitatem vlterius intrinsecã esse manifestam: quia qui sequitur minus probabilem, etiãsi illa falsa sit, nullum subit incommodum, nullum damnum patitur, quia satisfacit præcepto domini non obligantis ad maius bonum, & operatur secundum rectam rationem; è contra autem, quia in negotijs corporis, qui errat, sibi errat, & damnum patitur; ideo ne erret, debet quantum potest, & summam diligentiam adhibere; ideoq; negotium corporis requirit diligentiam summam, quia potest malè agi; secus verò negotium animæ, quia etiam sequendo minus probabiles, semper infallibiliter benè agitur.

Sed dices ex Candido. Hęc est petitio principij; nam quærimus, an negotium animæ benè fiat, sequendo minus probabilem; quærimus enim, an liceat sine peccato minus probabilem sequi; ergo hoc non debet assumi ad soluendum argumentum.

Resp. Quod nos non petimus principium, quia est in controuersia, an liceat sine peccato sequi minus probabilem. Hęc est Conclusio. Nos affirmamus: Candidus contra arguit, quia non licet hoc facere sine nota imprudentiæ in bonis corporis; ergo nec in bonis animæ; negamus consequentiam; disparitas autem non est, quia sine peccato in causis animę sequimur minus

pro-

probabilem; sic enim vtique peteremus principium; sed quia in causis corporis, si minus probabilis falsa sit, damnum subimus, secus in causis animæ; quia salus animæ ex honestate electionis dependet: hæc autem non à veritate opinionis, sed à probabilitate eiusdem simpliciter desumitur: vt probatum est supra. Debet igitur probare Candidus, quod probabilitas simpliciter non sufficiat ad cohonestandam actionem; debet probare, quod Deus à nobis requirat summam diligentiam in materijs eligendis, quod tantam curam velit nos habere animæ, quantam habemus corporis; quod profectò difficilis est probationis, cum contra ipsam veritatem clarissimè sit.

Addit Candidus. Seruus non satisfacit Domino suo, si minus verosimilia media adhibeat ad finis assecutionem; ergo neq; nos Deo. Sed væ nobis, si tantam diligentiam à nobis requireret Deus, quantam Principes, & Domini terreni à seruis suis exigunt. Sed in hoc elucet clarè pietas, & misericordia Domini; qui cum sit Rex Regum, & Dominus Dominantium, à nobis humillimis seruis tàm parua exigit; Adeo, vt verificetur oraculum ipsius: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Aliqua tamen ratio disparitatis huius rei potest inueniri; nam Domino terreno damnum euenit ex hoc, quod erret in electione mediorum seruus ipsius; secus autem Domino celesti. Item media verosimilia non inseruiunt ad finis consecutionem, nisi vera in re sint; secus probabiles opiniones nobis inseruiunt ad finem, nempe ad honestam electionem; quia hæc à probabilitate opinionum, non à veritate ipsarum dependet.

Octauum est. Si quis arcu iaceret sagittam ad aliquod signum, & vno modo iaciendo, probabile illi

esset collimaturum sinè læsione vlla manus; alio vero modo iaciendo, probabilius sciret se collimaturum, sed cum læsione manus; iste profectò, si pluris faceret collimationem, quam manum illæsam, sequeretur probabiliorem rationem collimandi; licet cum læsione manus; quam minus probabilem sine lęsione. Ergo homo, qui inquirendo, quod est licitum, agit ad collimãdum, si amaret magis licitum, quam temporale commodum, sequeretur probabiliorem rationem, licet cũ damno commodi temporalis, quam minus probabilem sine damno commodi temporalis; sed qui amat magis temporale commodum, quam licitum, peccat; ergo &c.

Resp. Exemplum non esse ad rem, quia homo siue sequendo probabiliorem, siue minus probabilẽ, semper certò ad scopum per se intentum collimat; nẽpe ad licitum operationis, quæ per se semper formaliter honesta est, per hoc præcisè, quod de honestate materię probabiliter constet; seu per hoc pręcisè, quod cõstet dari opinionem probabilem de honestate materię. Vndè semper sequitur rectam rationem, ac proinde semper certò collimat ad scopum præfixum in moralibus. Vndè, qui sequitur minus probabilem, non proindè est minus certus de honestate suę actionis, quę honestas per se formaliter intenditur; quam sit certus ille, qui sequitur probabiliorem; licet hic sit magis (sẽper tamen intra latitudinem probabilitatis) certus de honestate materię in se; quam sit alter. Sed hoc non officit ex fusè probatis in toto hoc opusc. Non ergo, qui sequitur minus probabilem, anteponit bonum tẽporale spirituali; sed semper bonum spirituale assequitur, honestatem scilicet actionis suæ, & satisfactionẽ, seu impletionem præcepti diuini, iubentis nos agere secundum rectam rationem.

S E-

SECTIO SEXTA.

Soluuntur quædam argumenta ab absurdo.

TRia sunt absurda, quæ ex nostra sententia deducunt aduersarij, quæ vrget Candidus *q. 5. argumento 9. 10. & 11.* Primum est. Si admittatur posse quem in causis animæ, & salutis suæ spiritualis vti opinione minus probabili, & sic alteri consulere, sequitur, quod etiam Medicus possit curare infirmum iuxta minus probabilem; & sic si habeat duo medicamenta, quorum alterum probabilius sit sanatiuum, & minus probabiliter occisiuum, & aliud, quod probabilius sit occisiuum, quàm sanatiuum, poterit hoc secundum adhibere, & sic probabilius occidere, quàm sanare; quod profectò, vel ex terminis absurdum videtur; & nullus est, qui vellet secum à Medico suo ita agi, & Medicus iste ab ęgrotorum cura omnino expelleretur.

Secundum absurdum est. Ex nostra sententia sequitur, quod Iudex possit ferre sententiam in fauorem illius, qui minus probabiles habet rationes, relicto illo, pro quo probabilius esset sententiandum. Quod iniquum videtur; quod scilicet ille, qui habet minus iuris, & rationis, sententiam habeat fauorabilem. Huic simile est aliud absurdum, quod Aduocatus possit tueri causam Clientis minus probabilibus rationibus, cum habeat probabiliores.

Tertium est. Ex nostra sententia sequitur, quod possimus vti opinione minus probabili, etiam in materia, & administratione Sacramentorum; ac proinde nos exponere periculo irritandi Sacramentum, & non suscipiendi effectũ illius, in damnum nostræ animæ, vel aliorum, quibus impenditur Sacramentum.

Hæc absurda distraxere DD. nostros in varias sen-

tentias. Nam alij concedunt ex nostra sententia hæc omnia sequi; illa tamen negant esse absurda. Alij è contra hæc pro absurdis reputant, negant autem ex nostra sententia benè inferri, & varias tradunt disparitates, & exceptionis causas. Vtrimq; autem sunt magni nominis Doctores.

Antequam, quid sentiam, aperiam; adnotanda est diligenter doctrina Suar. *tom.4. in 3. p. d. 26. sect. 6. n. 5.* maximum scilicet esse discrimen inter quæstiones Iuris, & questiones facti. Questio iuris est, an aliquid sit honestum, & licitum. Questio facti est, an hoc modo agendo, aliquid re vera fiat. E. G. hec est questio iuris. An Cambium recursæ sit iustum. Hec vero facti. An sub hac forma, in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati verè subsistat in facto baptisma.

Hæ autem quæstiones, sicut diuersæ sunt, ita non pari modo specificatur voluntas in illis honestè eligendis; nàm in quæstionibus facti maior diligentia requiritur; quàm in questionibus Iuris; siquidem in questionibus Iuris non est præceptum, vel necessitas ponendi in re, seu eligendi, quod in re honestum est; nec ex hoc quod fortasse eligatur inhonestū, sequitur vllum damnum facta prius prudenti diligentia. At verò in questionibus facti est preceptum ponendi factum, & faciendi, quod illud subsistat in re, & ex eo, quod non subsisteret, sequeretur damnum; puta in casu Sacramenti, nō subsistente facto irritaretur Sacramentum, & præiudicium graue inferretur suscipienti.

Hinc ergo in istis, quando constat, quod vno modo factum subsistat, eo modo omnino agendum est; & si certus modus non datur, vel aliquando per accidens non suppetit, & instat necessitas agendi, semper tutiori modo agendum est. Vndè licet in quæstionibus Iu-

ris non esse semper tenendã tutiorem certũ sit: in quęstionibus facti illa semper, certior scilicet, tenenda est.

Et hoc meo iudicio est discrimen verum inter opiniones, seu quæstiones Iuris, & facti; non vero illud, quod affert Io: Sanchez *in selectis d.* 43. *nu.* 48. *& seq.* scilicet opinionem omnem circa factum, non opinionem, sed dubiũ esse: vndè cum illa non posse quẽ agere; solam autem opinionem Iuris esse veram opinionẽ: vndè in quęstionibus facti ad rectè agendũ requiri certitudinem. Hoc enim non facile capio; vndè sic argumentor.

Opinio facti E.G. ex ipso Sanchez est hęc. Vxori proponitur virũ suũ iamdiu absentẽ mortuũ esse, duobus, vel tribus viris fide dignis affirmantibus, totidem autẽ negantibus. Sed si mulier ex auctoritate affirmantium moueatur ad credendum virum suum mortuum esse, verè opinatur, & non dubitat; ergo opinio facti realissima est opinio, & non dubium. Probatur minor. Vel pro dubitare, intelligitur formidare, vel suspendere assensum. Si primum: fateor, ꝙ dubitat; sed hoc non tollit opinionem, cum opinio, quà talis, probabilissima licet, inuoluat formidinem. Si secundum, hoc pacto profecto non dubitat, quia assentitur vni parti, credit virũ suum mortuum esse; ergo non suspendit assensum; sanè opinio Iuris opinio vera est, & tamen etiam ipsa formidinẽ inuoluit; cum hoc sit essentiale omni opinioni, quà opinio est; ergo etiamsi opinio facti dubiũ inuoluat hoc pacto, hoc est formidinem, adhuc erit verissima opinio.

Dices ex eodem *nu.* 50. Opinio facti est dubium, quia non potest securitatem afferre conscientiæ, nec enim decernit, an possit aliquid licitè fieri, vel non; sed solũ, an aliquid verè sit factũ, necne; verè subsistat, necne.

Contra tamen est primo. Quia, hoc neque dictant multæ quæstiones Iuris, puta, an Cambium recursæ sit iustum; & vniuersaliter nullus actus speculatiuus dicit de operabili, sed præscindit; vt visum est *d.p.* & tamen quęstio omnis Iuris dicitur vera opinio.

Contra secundo. Quia licet nihil opinio facti dictet de operabili, tamen ex ipsa statim consequitur dictamẽ, seu iudicium pręscribens hic, & nunc posse fieri, seù licitam esse talem operationem; quod quidem iudiciũ est in eodem ordine, ac est opinio facti; & si pro facto sunt rationes validæ, pro hoc iudicio consequenti sunt etiam rationes validæ; immo eædem prorsus, quæ militant pro facto, militant etiam pro hoc secundo iudicio decernente aliquid circa factum. E. G. in casu allato, pro facto, quod nempe vir mortuus sit, proponũtur vxori rationes validæ, nempe trium virorum dignorum fide testimonia. Ex his rationibus quid sequitur? sequitur probabile esse, quod nubere posse alteri viro. Nam certum est vxorem nubere posse alteri viro, quando certa est de morte viri sui; ergo probabile est nubere posse, quando probabiliter scit de morte viri; sed in hoc casu probabiliter scit de morte viri; habet enim pro morte viri probabiles rationes, nempè valida, & fide digna testimonia; ergo probabile est ipsã posse nubere alteri viro: sed per Sanchez cum opinione Iuris potest quis agere, & habet securitatem, animæ; ergo etiam cum opinione facti, ad quam essentialiter consequitur talis opinio Iuris.

Vrgeo. Per Sanchez, habens opinionem minus probabilem, quod possit tollere ab aliquo aliquam rem, potest tuta conscientia illam arripere; ergo etiam habens opinionem probabilem facti, quod nempe sit sua. Consequentiam hanc, quam negat Sanchez, sic demonstro.

Ex

Ex hoc, quod habeã rationes graues, quod res ſit mea, ſequitur euidenter, & neceſſario, quod poſſim illam arripere, ſeù ſaltem, quod probabile ſit me poſſe illam arripere; nam certum eſt me poſſe arripere rem, quę certò eſt mea; ergo poſſum, ſeù probabile eſt, me poſſe arripere rem, quæ probabiliter eſt mea. Immo hęc opinio probabilis, quod poſſim rem arripere, non poteſt fundari niſi in hac opinione facti, quod ſit mea; omne enim, quod non eſt meum, arripere non poſſum, & ſolum meum arripere poſſum. Sed quando certum eſt rem eſſe meam, non eſt opinio probabilis, quod poſſim illam arripere, ſed eſt cognitio certa, & euidens; ergo tunc eſt probabile me poſſe arripere, quando non ſunt rationes certæ, ſed graues, ſed ponderantes, ſed probabiles, quod ſit mea.

Inſto. Si cum opinione circa factum non poteſt quis agere; ſed adhuc, vt agat, debet certitudinem facti habere; ergo nunquam quis agere poterit in materia iuſtitiæ cum opinione ſiue probabili, ſiue probabiliori, quod eſt abſurdum. Probo conſequentiam. Sumus in materia iuſtitiæ, quando aliquid debeo dare, vel arripere; ſed opinio omnis probabilis, vel probabilior dicens me debere, non debere dare, vel arripere ſupponit opinionem circa factum; ſcilicet, an res danda, vel arripienda ſit mea, vel alterius; ſi enim quoad hoc non ſit opinio, ſed certitudo, iam non eſt opinio, ſed ſcientia euidens de hoc, quod eſt me dare, ſeù reddere debere, & me poſſe arripere; ergo, vel nunquam in materia iuſtitiæ poſſum agere cum opinione probabiliſſima licet: vel cum opinione circa factum ſemper poſſum agere; quia ex illa conſurgit opinio Iuris infallibili, & neceſſaria ſequela, ſaltem vniuerſaliter.

Et ſane omnis obligatio reſtituendi oritur, vel ex eo,

quod

quod rapuerim rem alienam, vel ex eo quod possideam rem alienam: si ergo sit certum rem, vel raptam, vel possessam esse alienam, non potest esse sub opinione, an debeam restituere, quæ est quæstio Iuris, sed erit sub scientia euidenti. Igitur in tantum erit sub opinione obligatio restituendi, in quantum sit sub opinione, quod res sit mea, vel aliena, quæ est quæstio facti; ergo à primo ad vltimum, & opinionem facti verissimam esse opinionem, & cum illa posse securè agi, quando potest agi cũ opinione Iuris, concedendum est.

Quod si velit Sanchez, ideo opinionẽ facti nõ sufficere, quia vlterius ad agendũ requiritur iudicium dictans debere, seu posse ex tali facto sic operari; ego non nego; immo vlterius tertio loco volo requiri iudicium practicum euidens dictans, eligi posse opinionem Iuris, quæ ex opinione facti consequitur; solum enim, quod contendo est, opinionem facti esse verissimam opinionem, non secus, ac opinionem Iuris; & quando cum opinione Iuris potest agi, sufficiat etiam opinio facti. Et vi motiuorum circa factum sequi, & oriri probabilitatem in opinionem Iuris, & rectitudinem infallibilem in iudicium practicum, seu rectam rationem electiones opinionis Iuris proponentem, & dictantem; siuè modo isti actus interueniant formaliter, siuè virtualiter.

Similiter in hoc sensu fateor probabilitatem circa factum posse appellari probabilitatẽ remotam, & probabilitatem circa Ius probabilitatem proximam; vt acutissimè docet Cardinalis de Lugo *t. p. de Iust. & Iure d. 16. sect. v. n. 97.* In quantum scilicet, cum ad honestam actionem, seu electionem moralem præsupponatur primo iudicium practicum dictans euidenter hic, & nunc talem actionem, seù electionem talis materiæ

esse

esse honestam. Secundo iudicium speculatiuum, quod ipsa materia, seu obiectum electionis sit licitum, & honestum. Tertio etiàm quandoq; prærequiratur cognitio facti; profecto sicut cognitio facti se habet remotè ad iudicium practicum, seu rectam rationem, & proximius se habeat iudicium Iuris, dictans obiectum, seù materiam electionis esse honestam; sequitur, quod in ordine ad rectam rationem, & honestam electionem, probabilitas Iuris sit proxima, & facti remota. Puta, quęritur, an res aliqua sit mea; hęc est quęstio facti. Secundo, an licitum sit illam retinere; hęc est quæstio Iuris; hæc vtiq; est proximior, quia sequitur ex prima.

Insuper, vt mox etiam dicebam, concedo vltrò, cum hac probabilitate solum remota, seu cum sola opinione facti non posse quem agere; quando scilicet ex tali probabilitate remota non potest oriri proxima, & ex tali opinione facti non potest oriri opinio Iuris; prout quādoq; contingit, ex aliquo impedimento, puta alicuius legis: prout exemplificat Card. cit. *n.* 100. scilicet, quādo ex tribus testibus affirmantibus aliquem esse reum alicuius criminis, & totidem negantibus, sequitur quidem probabile esse illum esse reum, non potest tamen proinde condemnari, nec resultat ex opinione hac facti, quod sit reus, opinio probabilis, quod possit condemnari; quia leges volunt, quem condemnari non posse, nisi delictū sit plenè probatū, non est autē plenè probatum, quando probabiliter tantum est probatum.

Verum regulariter ex opinione probabili circa factum consurgit etiam opinio Iuris. *Sic* in vniuersum in materia iustitiæ, ex hoc quod sit probabile rem esse meam, sequitur probabile esse, quod possim retinere, & ab alio arripere; nam alias nunquam possem ab alio arripere, nisi constaret certò, & euidenter esse

meam:

meam: in quo casu non daretur opinio, sed euidentia Iuris; & sic sequeretur, quod nunquam possem rem aliquam retinere, vel ab alio arripere cum probabilitate Iuris, sed semper cum euidentia, quod profectò difficile est. Item in materia matrimonij, ex hoc, quod sit verosimile virum esse mortuum posse vxorem nubere alteri viro, docet *Gl. super cap. in præsentia de spons.* ergo etiã in casu matrimonij ex opinione facti nempè mortis viri, sequitur opinio Iuris nempè posse nubere. Item *in c. significasti 2. de homicidio voluntario*, habetur quem censendum irregularẽ, nisi cõstet vulnus nõ fuisse lethale. An vulnus fuerit lethale est quæstio facti. Quid intelligitur per ly constare? Legatur Barb. *super hoc cap. in collect.* dicit intelligi, quod vnus Medicus, etiã alio contradicente asserat, dummodo senior sit; certè autem, hoc stante, hæc queſtio remanet sub opinione; igitur ex hac opinione facti sequitur, quem non habẽdum pro irregulari; quæ est quæstio Iuris. Sic pariter in multis alijs materijs.

An autem quando factum est controuersum, ad agẽdum sine peccato debeamus sequi probabiliorem, dicam infra; nunc ad absurda contra nos illata redeo, & vt clarius procedam, sit.

Conclusio Prima.

ABsurdum censeo, quod Medicus in curando possit vti opinione minus probabili; hoc est adhibere medicamenta, quæ minus probabiliter arbitratur profutura, & probabilius iudicat esse nocitura; Vndè Medicus sic agens peccaret contra iustitiam, & contra charitatem.

Conclusio probatur primo. Quia Medicus consulere tenetur saluti ægrorum, & euitare periculum interficiendi

ficiendi infirmum. Hanc propositionem sic simpliciter prolatam, & intellectam nullus negare potest; ergo absurdum est, quod Medicus licitè possit adhibere medicamenta minus probabiliter sanatiua, & probabilius occisiua, dum suppetunt medicamenta meliora, & probabilius sanatiua, quæ æquè benè potest applicare. Consequentia probatur, quia sic agendo simpliciter non consulit saluti infirmi, cum exponat ægrum maiori periculo moriendi, quam salutem acquirendi, cũ facilè posset eum exponere minori periculo: ex illa enim parte est maius periculum, vbi sunt minus probabiles rationes.

Confirmatur primo. Hic sumus in quęstione facti, vocatur enim Medicus, vt infirmum sanet, & si errat in medijs, nempe medicinis, aberrat à fine, & causat nõ salutem, sed mortem infirmi; ergo Medicus habet pręceptum ponendi factũ; ergo debet meliori modo, quo æquè benè potest cooperari facto; ergo tenetur meliora media, quæ æquè benè potest adhibere; ergo cum habeat parata, & remedia probabiliora, & minus probabilia, tenetur probabiliora adhibere.

Secundo probatur Conclusio, quia tenetur Medicus magis consulere vitæ, & saluti infirmi, quam morti ipsius; ergo tenetur probabilius sanatiua remedia adhibere. Probo consequentiam, si adhibet remedia probabilius occisiua, & tantum probabiliter sanatiua, magis consulit morti, quam vitæ; quia hęc media magis sunt conducentia ad mortem, quàm ad vitã & sanè si alicui volenti occidere Petrũ proponerentur duo medicamenta vnũ probabilius sanatiuũ, alterum vero minus probabiliter sanatiuum, sed probabilius occisiuũ, quid faceret, si Petrum vellet occidere? profectò daret remedium minus probabiliter sanatiuum; ergo è contra

tra Medicus, qui debet sanare, debet remedium adhibere probabilius sanatiuum.

Vrgeo. Medicus sequendo minus probabilem, probabilius occidit infirmum, quàm sanet; ergo potiori iure dicetur occidere, quàm mederi; qui autem potius occidit, cum teneatur mederi, nonne peccat? Benè dicit Candidus, nullus vellet pro se huiusmodi Medicum, qui potius occideret, quàm sanaret, & si quis hunc eligeret, æger potius mente, quam corpore dicendus esset.

Tertio, quia Aristoteles 1. *Topicorum* ait. *Non ideo malus Medicus, si non semper sanet, dummodo nihil omiserit eorum, quæ sunt ex arte*; ergo malus Medicus est, & peccat, qui aliquid omittit eorum, quæ sunt ex arte, & qui non operatur ex arte; ergo malus est Medicus, qui operatur via magis fallibili, & minus probabili; operari enim ex arte est operari via minus fallibili. Ars enim minus fallibilis, quam potest, esse curat, & sic viæ eius sunt viæ minus fallibiles; & per consequens probabiliores; ergo ijs insistendum, & cuiq; agendũ iuxta illas.

Quod autem Medicus peccet non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, patet, quia, si adhoc obligationem habet, habet ex officio; ergo hæc est obligatio ex iustitia. Item, si ego sciens darem medicamentum minus probabiliter sanatiuum Petro; & Medicus sciens daret idem Paulo, vterq; peccaremus; certè autem magis Medicus, quàm ego, & diuersimodè; ergo, quia ego solum contra charitatem, Medicus etiam contra iustitiam. Deniq; Medicus ad sanandum ægrotum stipendio ducitur, ducitur autem, vt meliori modo, quo potest, ægrotum sanet, & si sciretur illum non vti melioribus medijs, profectò non duceretur; ergo ex pretio conuentione interueniente, velut tacita,

ta, & interpretatiua ducitur ad sanandum, & medendum melioribus medicamentis; ergo ex iustitia tenetur id agere.

Dices. Quando medicamentum certò sanatiuum suppetit, tunc tenetur Medicus illud adhibere, quia tunc potest certò sanare; at verò, quando omnia medicamenta, quæ suppetunt, sunt fallibilia, quia tantum probabiliter sunt sanatiua, magis, vel minus: tunc quia ex vtraq; parte est periculũ, & ex vtraq; spes, poterit quodlibet prudenter adhiberi; etiam enim minus probabile sanare potest, & magis probabile potest interficere.

Contra tamen est quia, licet vtrumq; sanare posit, & interficere, adhuc vnum est magis sanatiuum, & minus interfectiuum, quam aliud; probabilius est, quod vnum sanet, aliud verò, quod occidat; ergo, qui debet consulere potiùs saluti ægroti, quam morti, debet quod magis iudicatur sanatiuum applicare: & si applicat, quod magis iudicatur interfectiuum, potius consulit morti, quam vitæ; applicat enim medium magis conducens ad mortem, quàm ad vitam. Sed Medicus debet potius consulere saluti, quam morti infirmorum; ergo &c.

Dices. Qui operatur cum opinione probabili, prudenter operatur, & per consequens non peccat.

Resp. Distinguendo antecedens, qui operatur cum opinione probabili, ex qua si sit falsa, oriatur damnum alicui, cuius tenemur indemnitati prouidere, prudenter operatur; falsum est antecedens; citra hunc casum, concedo antecedens; Medicus autem est in hoc casu, ergo &c.

Et hinc sequitur hoc absurdum de Medico non deduci ex nostra sententia, quia Medicus eatenus tenetur sequi probabiliorem, quia est in quæstione facti, & facto tenetur consulere; si autem sequatur minus pro-

babilem, facto non consulit; sed potius negationi facti. Explico clarius; si minus probabilis sit falsa, occidit infirmum, & damnum infert proximo, cuius indemnitati tenetur ex officio consulere; vndè quod specificat electionem Medici quoad medicamenta, est ratio, seù formalitas tuti, non probabilis; vndè semper tutiori Medico insistendum est, quando alterum non est tutum. E contra autẽ, quod specificat generaliter actiones nostras in esse honesti, non est ratio tuti, sed ratio probabilis; quia ex hoc ipso, quod opinio sit probabilis, tutissima est, quia electio sequitur infallibiliter honesta; vndè hic sumus in diuerso casu; medicamenti veritas sanat infirmum; animam nostram sanat opinionis, nõ veritas, sed probabilitas; & si enim probabilis opinio falsa sit, adhuc honestè operamur; vndè Medicus veritatem quærere tenetur, ac proinde sequi maiora signa veritatis; at in foro Conscientiæ probabilitatẽ tenemur sequi, quæ quia etiam est in minus probabili, ideo &c.

Hic autem placet adnotare parum consequenter locutum Io: Sanchez *d.* 44. *n.* 36. dum docuit Medicũ posse applicare medicamenta, quæ minus probabiliter putat, seù quæ minus probabilis opinio docet, esse sanatiua; quia, ait, secundum suam conscientiam applicat id, quod fore salutiferũ arbitratur; hoc inquam est parùm consequenter dictum. Nam dum quærimus, an medicamentum sit sanatiuum, necne; hęc est quæstio facti; ergo opinio dicens esse salutiferum est opinio facti; sed cum opinione facti, quia dubium illa est, & non opinio per Io: Sanchez, non possumus agere, vt docet *d.* 43 *nu.* 48. *& seq.* ergo neq; Medicus potest agere, & applicare medicamenta secundum opinionem minus probabilẽ: vel si hoc admittendum est, malè dictum est supra *loc. cit.* cum opinione facti non posse quem agere.

Vrgeo,

Vrgeo, docet hic auctor *d. 44. n. 51.* Iudicem debere ferre sententiam secundum opinionem probabiliorem, quando sumus in quæstione facti, & cum disputatur, & controuertitur, an aliqua res sit huius, vel illius; & illi rem esse applicandam, qui probabilius ostendit rem esse suam; quare ergo idem non dicendum de Medico, qui etiam est in quæstione facti, & est veluti iudex inter medicamenta; quare non debebit applicare medicamentum, quod probabilius ostenditur sanatiuum?

Conclusio Secunda.

IVdex non potest in sententiando sequi partẽ minus probabilem, siuè simus in quæstione facti, siuè iuris; hoc est, nec cum opinione facti, nec cum opinione Iuris minus probabili potest Iudex sententiam ferre, sed debet omnino sequi probabiliorem; aliter peccat contra iustitiam.

Exemplifico Conclusionem. Duo prætendunt rem aliquam esse suam; probant scripturis, testibus. Hic sumus in quæstione facti; & dico debere Iudicem ferre sententiam in fauorem illius, qui melius probat rẽ esse suam. Vel prætendunt duo sibi rem aliquam adiudicãdam; quia lex aliqua, quæ diuersimodè à DD. intelligitur secundum varium intellectum fauet vtrique. Hic sumus in quæstione Iuris; & dico debere Iudicem sequi sententiam probabiliorem; & cui probabilius legem iudicat fauere, rem esse adiudicandam.

Probatur Conclusio primo vniuersaliter, quia Iudex in quacumq; quæstione, siuè Iuris, siuè facti debet sententiare ex iustitia, & in præhabendo vnum alteri, debet agere ex iustitia; alias si non agit secundum iustitiam, peccat, cum ad id, qua iudex teneatur; sed sequendo minus probabilem, siuè in quæstione Iuris,

siuè

siuè facti non sententiat ex iustitia; & sententiando secundum minus probabilem in fauorem vnius non præhabet vnum alteri secundum iustitiam; ergo sequendo minus probabilem, siuè in quæstione Iuris, siuè facti peccat. Maior ex terminis videtur clara; minor probatur, quia sententiare ex iustitia, & secundum iustitiam, est sententiare in fauorem illius, ad quem iustitia inclinat. Sed iustitia in quacumq; quæstione semper inclinat ad partem probabiliorem; illa enim habet magis de iustitia, & per consequens magis ad illam iustitia inclinat; habet magis de iustitia, quia habet magis de ratione, quæ iustitia est; ergo Iudex, vt agat secundum iustitiam, debet semper in quacumq; quæstione sequi partem probabiliorem.

Confirmatur primo. Iudex in hoc, quod est sententiare potius in fauorem vnius, quam alterius, & præhabere vnum alteri, debet moueri ab aliqua ratione ad sentētiandū pro vno potius, quàm pro alio; sed hæc non potest esse alia, nisi maior ratio vnius partis supra aliam; ergo debet moueri ad hoc à maiori probabilitate, quam habeant rationes vnius supra rationes alterius. Licet enim dicere possis, ad sententiandum pro Petro E. G. habet rationes sufficientes, rationes scilicet simpliciter probabiles; tamen dico ego, ad præhabendū illum Paulo, quas rationes habet? ad sententiandum potiùs pro Petro, quàm pro Paulo, qua ratione mouetur? ly potius vndè oritur? ex arbitrione Iudicis? ergo non rationabiliter præhabet vnum alteri; sed quia sic placet, & quia stat pro ratione voluntas, quod est iniquum.

Confirmatur secundo ex communi omnium Gentium sensu, qui ferè nunquam errat, iuxta illud, *Vox populi, vox Dei*. Astrea, quæ iustitia est, fingitur habere stateram, & lances in nullam partem inclinantes

de se,

de se, sed solum, quæ mouentur, & inclinantur à rationibus partium, & vbi lances inclinant, ibi sententia est ferenda; sed inclinantur lances solùm à maiori probabilitate rationum, quæ solæ in statera ponuntur; ergo ferenda semper sententia, vbi est maior probabilitas rationum. Hæ autem rationes, vt patent, militant tàm de Iudice supremo, quam de inferiori.

Secundo probatur Conclusio, quia Iudex tenetur iudicare iuxtà allegata, & probata, & secundum merita partium; ergo non ex arbitrio; sed allegata, & probata, & merita partium fauent parti probabiliori; ergo pro parte probabiliori ferenda sententia.

Tertio, Quia est præceptum iustitiæ, quod ius suum cuiq; tribuatur. Sed sententiando pro parte minus probabili non tribuitur cuiq; ius suum; nàm pars magis probabilis habet hoc ius, vt sententietur potius pro illa, quàm pro parte opposita. Habet enim revera maius ius, quod non consideratur in se, vt plurimum enim hoc euidenter non cognoscitur; sed consideratur in allegationibus, & probationibus, quæ profectò meliores, & fortiores sunt pro parte probabiliori; ergo illa habet hoc ius magis, quàm opposita. Igitur contra iustitiam fit; si hoc ius ipsi non tribuatur, & nõ fiat satis ipsi sententiando pro illa, sed sententietur pro parte opposita.

Sit exemplum clarificans omnia. Titius accusatur homicidij; decem testes asserunt illum esse innocentem; tres nocentem. Quis sanæ mentis non dicat Iudicem iniquè acturum, si Titium in furcas agat? Ecce exemplum in quęstione facti; de modo exemplum in quęstione Iuris; Titius occidit hominem, sed in tali circumstantia, in qua decem DD. validioribus cum rationibus tenent esse absoluendum. Duo è contra cum

minus

minus validis rationibus dicunt esse condemnandum. Quæso, nonne iniquè aget Iudex, si illum condemnet? Titius habet maius ius adhoc, vt absoluatur; ergo non obstante hoc, condemnabitur? hoc est durum.

Dices. Iudex agens cum opinione minus probabili prudenter agit; ergo licitè.

Resp. Negando antecedens, quia agit clarè contra iustitiam, quæ pręcipit ius suum cuiq; tribui, quod ipse non tribuit, sic agendo, vt ostensum est.

Cęterũ hoc absurdũ, quod Iudex possit sententiare pro parte minus probabili, non sequitur ex nostra sententia. Disparitas enim est manifesta, quia in foro animę semper sententiatur pro parte certa, nempe pro honestate actionis, etiam quãdo sequimur minus probabilem; adhuc enim est certum actionem esse honestam, quæ sola cadit sub sententia practica naturalis iudicatorij, & sub iudicio Prudentię. Nam sententia practica non cadit supra materiam operationum, sed supra honestatem electionis, vel omissionis illius. Vtraq; autem semper honesta est, si de honestate materiæ sunt contrariæ opiniones simpliciter probabiles; vndè tam electio, quam omissio possunt eligi (ne facias difficultatem in verbis, idem enim intelligo, ac possum licitè eligere, vel omittere) nec vlli fit iniuria.

Neque vero, quod perperam assumit Candidus, lęditur vel Deus, vel honestum, quando eligitur minus probabilis; nam diuino præcepto fit satis, & honestũ per se intentum semper sequimur, non autem refugimus ab illo, quando eligimus materiam minùs probabiliter iudicatam honestam; electio enim, quæ semper per se intenditur, certò honesta est; vndè quamcumq; opinionem sequimur, nunquam recedimus à iustitia, nunquàm ab honesto; secus in foro fori, in quo
necesse

necesse est ab iustitia, & honesto discedere, vt probatum est.

Adde, quod si pars minus probabilis, pro qua iudex sententiat, falsa sit, graue damnum irrogatur oppositæ, contra quam sententiat; quod non contingit in casu nostro, quia etsi minus probabilis sit falsa, adhuc nullum damnum patitur anima, vt ostensum est.

Neque dicas, quod materia, quæ minus probabiliter putatur honesta, habet maius ius, vt euitetur, quam vt eligatur; hoc enim falsum est; cum enim ratio, cur debeat eligi, sit probabilitas simpliciter honestatis, & hęc reperiatur, etiam quando minus probabiliter iudicatur honesta, sequitur, quod tunc habeat etiam ius sufficiēs, vt eligatur. Pręterea, quod ius habet materia in ordine ad sui electionem? certè solum vt sequatur electio certè honesta; sed hęc sequitur, etiam cum materia est minus probabiliter iudicata honesta; ergo &c.

Sit exemplum. Si leges statuant, vt vir habens quasdam certas conditiones, possit assumi ad Magistratum; si sint duo eiusdem Magistratus Candidati, quorū vterque simpliciter habeat prędictas conditiones, sed vnus excellentius alio; peccabitne eligens habentem prædictas conditiones simpliciter? nequaquam. Quare hoc? quia legem implet. Sic etiam in casu nostro; quia quod exigit lex Dei, est, vt attendamus ad probabilitatem honestatis simpliciter.

Sed ob. Exigit Respublica à Iudicibus, vt decernant, & iudicent secundum allegata, & probata; ergo etiam Deus à nobis; nam ratio, quare Respublica hoc exigat, est amor veri, & recti, quem amorē etiam exigit à nobis Deus in foro animæ.

Resp. Negando consequentiā; licet .n. verè Deus exigat à nobis amorē iusti, & recti: hoc præcipuè exigit in

nostis actionibus practicis, scilicet voluntatis, quarum honestatem per se formaliter intendit; actiones autem voluntatis semper sunt per se certò formaliter honestę & rectæ, etiam quando sequimur minus probabilem. In materijs autem nostrarum operationum vult Deus nos moueri à vero, & recto, & quando illud euidenter constat, omnino illud sequi debemus; at quando non euidenter constat, sufficit ipsi, si simpliciter probabiliter verum eligamus; nec enim obligat ad maius bonũ; nimis enim hoc coarctaret conscientias nostras, si semper probabiliora sequi deberemus. In summa, *Iugum Dei suaue est, & onus ipsius leue.* E contra autem, Respublica magis grauat Iudices ab ipsa constitutos, & meritò; si enim veritatem nõ assequantur, graue damnum inferunt parti, contra quam sententiant. Secus in causis animæ, in quibus etiamsi veritatem non assequamur, nullum damnum subit anima nostra; proinde Iudices tenentur veritatem, quantum simpliciter possunt, sequi. Sanè Mundus vult diligentius, & exactius geri negotia sua, quam velit Deus, quæ ad ipsum spectant. Et quod homines tantam diligentiam adhibeant in causis animæ, ac corporis, est de consilio, non de præcepto.

Quod dixi de Iudice, idem dicendum de Aduocato, peccare scilicet, si minus probabiles rationes adhibeat ad tuendam causam Clientis, dum habet probabiliores, quas æque benè potest adhibere; pretio enim ducitur ad tuendam Clientis causam melius, quam potest, alias non ducendus. Item si rationes minus probabiles, non subsistant, ac proinde Cliens causa cadat, maximum damnum patitur; quod damnum poterat euitare Aduocatus, & tenebatur; ob hoc enim pretio accersitur. Nec tamen proinde valet; ergo idem dicendũ in causis

animæ

animæ vniuersaliter, propter iam assignatas disparitates, tùm ad absurdum de Medico, tum de Iudice.

Hic autem nota absurdum de Aduocato non ita ex nostra sentẽtia à DD. inferri, sed aliter; scilicet, aiunt, sequitur, quod possit Aduocatus causam minus probabilem contra probabiliorem tueri. Sed hoc absurdũ nullum est; quamcumq; enim causam, dummodo euidenter non iustam potest Aduocatus, & Doctor tueri; causa enim quæcumq; dummodo probabilis, potest esse iusta, & opposita probabilior licet, iniusta. Hinc est, quod DD. communiter hoc negant esse absurdũ; maiorem habet difficultatem absurdum à nobis illatum: vndè fassi sumus illud absurdum re vera esse, sed ex nostra sententia non sequi.

Conclusio Tertia.

ABsurdum est posse aliquem vti, siuè administrando, siuè conficiendo, siuè suscipiendo Sacramẽtum, opinione probabili, probabiliore licet, quàm opposita, quando suppetit sententia certa, qua potest vti. Item in concursu probabilis cum probabiliori, absurdum est, posse quem vti opinione minus probabili; sed debet sequi probabiliorem, quando vel sententia certa non est, vel illa vti non potest. Qui secus facit, peccat contra Religionem; & si ex officio teneatur Sacramẽtum administrare, & conficere, peccat etiam contra iustitiam; secus contra charitatem. In casu autem necessitatis, quando non potest in praxim deducere probabiliorem, vel certam, vtatur quis opinione probabili.

Conclusio procedit vniuersaliter, quandò agendo secundum opinionem probabilem, vel probabiliorem est periculum irritandi Sacramentum, vel frustrandi proximum effectu Sacramenti; nàm aliàs, licet illud

ministrare, quando, & cui per minus probabilem licet. Puta, cum quęritur, an liceat amenti Eucharistiam ministrare; si enim sit opinio etiã minus probabilis, quod liceat, sine peccato Sacramentum ministratur.

Prima pars Conclusionis probatur, quia facit iniuriam grauem Sacramento, qui non facit, quantum moraliter potest, ne illud irritum in re euadat; sequitur tunc enim abusus Sacramenti; quia vel forma inepta cadit supra materiam aptam, vel è contra formæ aptæ subijcitur materia inepta; quem quidem abusum tenetur euitare homo, quantum moraliter potest; alias voluntariè se exponeret periculo irritandi Sacramentũ, cum voluntariè minus ageret, quam moraliter posset; præcipuè cum cadat sub præcepto diuino non irritare, nec se exponere periculo irritandi Sacramentum. Sed qui relinquit sententiam certam sequendo probabilẽ, vel probabiliorem, non consulit, quantum moraliter potest indemnitati Sacramenti; melius enim, & securius consulitur sequendo sententiam certam: cum sequendo quamcumque probabilissimã licet, semper sit periculum, quod falsa sit, & per consequens, quod Sacramentum in re non subsistat; ergo peccat contra Religionem, qui vtitur in materia Sacramentorum sententia, probabilissima licet, relicta certa. Dixi contra Religionem, quia peccatum ex abusione Sacramenti, siuè formæ, siuè materiæ ipsius contra Religionem est, & sacrilegium.

Dices. Sufficit, quod homo prudenter consulat validitati Sacramenti; consulit autem prudenter sequendo sententias probabiles.

Contra tamen est, quia prudenter non consulit alteri, qui potens æquè bene illum omnino saluum reddere, diuersimodè agit, & voluntariè illum exponit

periculo

periculo ſimpliciter pereundi; ſed ſequendo ſententias probabiles, exponimus Sacramentũ periculo probabili non ſubſiſtendi; cum poſſimus ſententiam certã ſequendo, illud omnino validũ reddere; ergo ſequendo ſententias probabiles prudenter validitati Sacramẽti non conſulimus. Maior videtur propoſitio moraliter certa, minor eſt certa phyſicè, conſequentia currit.

Secundo. Parochus, & Confeſſarius tenentur ex officio ouibus ſuis Sacramenta valida miniſtrare, quantũ moraliter poſſunt; ad hoc enim ab Eccleſia inſtituuntur; ergo ſi in re tàm graui, quæ ſalutẽ ſimpliciter animarũ concernit, negligentes ſint, profectò contra iuſtitiam peccant, quia iuſtitiæ & officio ſuo nõ ſatisfaciunt.

Tertio. Peccat quilibet contra charitatem; quia in re graui charitas vrget nos, vt in re graui tutiori modo, quo moraliter poſſumus, proximo ſubueniamus. Sanè vrget nos illud præceptũ naturæ *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; ergo vrget nos, vt in adminiſtratione Sacramentorum, quæ ſi ſint inualida, maximum, & æternum damnum ſubit proximus, ſequamur viam certiorem, ac proinde probabiles ſententias reijciamus, quando certa ſuppetit. Item quis vellet ſecum ità agi in adminiſtratione Sacramentorum? nullus profectò; ergo neq; cum proximo noſtro ſic agamus. Ex charitate enim ad hoc tenemur, & ſumus in re grauiſſima.

Secunda Concluſionis pars ſequitur ex præcedenti; nã non agit, quantũ moraliter poteſt, qui probabilem ſequitur relicta probabiliori; plus enim poteſt agere ſequendo probabiliorem: quæ ſicut plus habet de veritate; ſic plus de ſecuritate, quod res habeat ſe, ſicut illa enunciat, & per conſequens certius eſt, quod Sacramentum ſecundum illam fiat, & re vera ſubſiſtat, quam ſecundum minus probabilem.

Neq;

Neq; dicas. Vtroq;modo contingere poteſt, quod Sacramentum non ſubſiſtat, neutra enim eſt certa; ex alio autem capite prudenter agimus, ſequendo opinionem probabilem.

Contra enim eſt, quia licet vtroque modo contingere poſſit Sacramentum irritari; tamen minus hoc contingere poteſt, ſeu minùs nobis apparet contingere poſſe, quod Sacramentum irritetur, ſi ſequamur probabiliorem. Ex alio autem capite prudenter non agit, qui ſaluti proximi conſulit minus, quam poteſt, cum æquè bene poſſit magis, & tutius conſulere, ſicut neq; prudenter conſulit indemnitati Sacramenti.

Confirmatur vtraq; pars concluſionis ex D. Auguſtino *lib. p. de Baptiſmo contra Donatiſtas c.* 3. vbi ait. *Qui eſt certus in Catholica Eccleſia eſſe Baptiſmum, & ibi rectè accipi; in parte vero Donati eſſe Baptiſmum quidem certus eſt, rectè autem accipi certus non eſt; quia licet illi dicant, hoc nos negamus; partem Donati relinquat, & in Catholica Eccleſia Baptizetur*. Et concludit poſtea vniuerſaliter peccare grauiter, qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponit; ergo ex Auguſtino concurrentibus duabus ſententijs quoad ſuſceptionem, ſeu adminiſtrationem Sacramentorum, quarum vna eſt certa, alia non certa, quia licet ab aliquibus aſſeratur, & probetur, fallibilis tamen ſimpliciter eſt, certa omnino tenenda eſt; aliter grauiter peccatur. Secunda autem pars ſequitur ex prima, vt oſtenſum eſt ſupra.

Tertia etiam concluſionis pars patet, quia in caſu neceſſitatis conſulit Sacramenti validitati, & ſaluti proximi, quantum poteſt, qui ſequitur probabilem; cum nec probabiliorem, nec certam ſequi poſſit tunc; ex alia autem parte probabilis ſententia certo ſcitur poſſe

eſſe

esse vera,& habet pro se graue fundamentum veritatis; ergo quia Sacramentum tunc tutius fieri non potest, & instat necessitas illud conficiendi, possumus vti opinione probabili.

Dices. Melius est tunc Sacramentum non conficere, seù non administrare, cum sit melius Sacramentum non confici, quàm exponi periculo irritationis.

Contra tamen est primo, quia licet re vera sequendo minus probabilem sit periculum irritationis, tamen admodum etiam probabile est futurum validum Sacramentum, cum qua probabilitate prudenter dicitur consultum Sacramento, in hoc casu, quia nullus melior modus suppetit. Quod autem, quando tutior agendi modus non suppetit, prudenter eligatur minus tutus, & dicatur prudenter consultum alicui, res est clara.

Contra secũdo, quia magis prępõderat salus proximi, seù vtilitas, quæ illi à Sacramẽto dimanat, quàm periculum irritãdi Sacramentum, quando tale periculum imminet ex opinione probabili, cum qua verosimile admodum est, quod non irritetur. Et ratio est euidens, quia Sacramenta sunt instituta à Christo Domino ad salutem animarum, tamquam ad finem; ergo magis præponderat consecutio salutis animarũ, quam periculum, quod Sacramentum non subsistat, semper enim magis præponderat finis, quàm media. Præterea si argumentum valet, nec licebit ministrare secundũ probabiliorem, cum etiam secundum illam sit periculum irritationis.

Instabis. Tunc debet ministrari, & confici sub conditione.

Contra tamen est, quia si periculum irritationis, quod oritur ex opinione probabili, cogit, vt Sacramentum sub conditione ministretur; ergo etiam cum opi-

nione

nione probabiliori erit conficiendum, & ministrandũ Sacramentum, sub conditione: quia etiam ex hac oritur periculum irritationis, & licet minus, adhuc simpliciter in eodem genere. Igitur solum debet Sacramentum sub conditione ministrari, quando sumus in dubio orto ex insufficientia rationum, non verò quando sumus in opinione simpliciter probabili, quia tunc cum graui fundamento iudicatur futurum validum Sacramentum.

Quęres. Quid dicendum de sententia illorũ, qui dicunt vtentem sententia probabili relicta certa in materia Sacramentorum, non peccare contra Religionem propriam, & naturalem Sacramento, sed solum contra consuetudinẽ Ecclesiæ, quę vnanimiter certam sequitur: & quia consuetudo habet vim legis, ideo peccare contra obedientiã, quæ obedientia, quia concernit materiã religiosam, ideo in hoc sensu posse dici peccare contra religionem; prout Io: Sanchez multos refert ità sentientes *d.* 44. *n.* 26.

Resp. Me approbare libenter, quod relinquens sententiam certam vsualem toti Ecclesię peccet, etiã contra obedientiam; sed vlterius contendo etiam peccare contra Religionem propriè, iustitiam, & charitatem, vt probaui.

Dices. Conclusio posita debet tantũ intelligi, quãdo sermo est de spectantibus ad Sacramentum de iure diuino ex Christi institutione; non verò quando sumus in ijs, quæ sunt iuris positiui, & pendent pręcisè ab institutione Ecclesiæ: quia tunc agenti cum opinione probabili Ecclesia confert auctoritatẽ, & iurisdictionẽ, & supplet Ecclesia defectus, qui alioquin in re possent contingere; vnde certò subsistit tunc Sacramentum, etiamsi opinio probabilis, quam sequimur sit fal-

sum

sũ dicẽs. Ecclesiã autẽ supplere, & conferre iurisdictionem agenti cum opinione probabili, siue etiam quando interuenit error communis, & titulus coloratus, est communis sententia DD.

Resp. Quod re vera, si certa esset sententia, quæ docet Ecclesiam conferre iurisdictionem agenti cum opinione probabili, seu quando interuenit error communis, libenter distinguerem, & admitterem conclusionẽ procedere solùm in ijs, quę sunt iuris diuini à Christo instituta; sed quia hæc opinio solum est probabilis, ideo nullam censeo apponendam distinctionem, seu limitationem: quia etiam in ijs, quę ad Ecclesiam spectant, non est certum illam conferre auctoritatem non habenti, quando interuenit error communis, vel opinio probabilis; ergo potest esse falsa prædicta sententia, ac proinde contingere, quod etiam Sacramentum irritetur, ex defectu rerum ab Ecclesia exigitarum; ergo adhuc est periculum.

Quod autem prædicta sententia non sit certa, patet, quia sunt multi graues DD. qui illam dicunt falsam, cũ adducantur contra illam multi textus SS. Canonum, & definitiones Cardinalium; ergo potest esse falsa: sanè non excedit limites sententiæ probabilis. Legatur Io: Sanchez *d.* 44. *nu.* 10. §. *Per principia, &* §. *Præterea.*

Sed objicies primo contra positam conclusionem. Qui sequitur opinionem probabilem certa relicta, putat se prudenter agere, & cum valido fundamento putat se Sacramentum validè conficere; ergo nullam iniuriam infert Sacramento; quia illud putat non irritandum.

Resp. Quod in primis prudẽter nõ agit propter dicta; secundo, licet putet cum graui fundamento se validè conficere, adhuc certo scit posse Sacramentum in re-

euadere irritum; quia ſcit cuicumque probabili opinioni poſſe ſubeſſe falſum, & ſcit etiam ſe aliam partem ſequendo validè conficere Sacramentum, & tunc certò, & infallibiliter; ergo voluntariè ſe exponit periculo, quod ſcit adeſſe, ac proinde non conſulit, quātū moraliter poteſt indemnitati Sacramenti, & ſaluti proximi; ergo iniuriam infert Sacramento.

Obijcies ſecundo. Quid eſt fieri iniuriam Sacramēto? quid eſt hoc? Deo non fit iniuria, ipſe enim actiones noſtras reſpicit, quæ ſi inculpabiles ſint, quales ſunt, quando procedunt ex opinione probabili, Deus non læditur. Sacramento neque, quia illud res in anima eſt, etſi nō ponitur in re, nulla fit ipſi iniuria, ergo &c.

Reſp. fieri iniuriam Deo, vt auctori Sacramentorum, cum enim Deus ſtatuerit hanc materiam, & hāc formam, quæ ſimùl coniungantur, qui aliter ac ipſe præſcribit, facit, & ſupponit materiam aptam formę ineptæ, vel è contra: vel exponit ſe voluntariè periculo tranſgrediendi eius inſtitutionem, facit iniuriam ipſi inſtitutori. Neq; vero inculpabiliter agit, qui ſequitur probabilem in hoc caſu, quia ſe exponit periculo voluntariè irritandi Sacramentum, & non ſuccurrendi proximo, vt tenetur, ideo &c.

Obijcies tertio. Conficiens, vel miniſtrans Sacramentū putat ſe illud validè conficere; ergo nō facit iniuriā ſuſcipienti miniſtrando ſecundū opinionē probabilem; ergo ad minus non peccat contra charitatē.

Reſp. negando primam, & ſecundam conſequentiam, quia adhuc certò ſcit poſſe Sacramentum non ſubſiſtere ſic miniſtrando, & per conſequens poſſe proximum graue damnum ſubire; ergo peccat contra charitatem, quia voluntarie exponit proximum ſuum prædicto periculo.

Sed

Sed vrgebis. Ex charitate tenemur succurrere proximo, si iudicamus illũ esse in extrema necessitate; quod si iudicamus probabiliter, quod illa extrema non sit, non tenemur illi succurrere; etiamsi alioquin, si nostra opinio sit falsa, damnum subeat proximus. Item rem proximi teneor restituere ex iustitia; si tamen probabiliter rem, quam habeo, puto meam, non teneor restituere; etiamsi, si mea opinio sit falsa, damnum irrogetur proximo; ergo licet teneamur proximo ministrare valida sacramenta, sufficit, si illa ita ministremus, vt opinemur cum fundamento validè ministrari.

Resp. Concesso antecedente quò ad omnes sui partes, negando consequentiam. Disparitas est manifesta; quia proximus non habet ius, vt ei succurramus, nisi quando constat euidenter, quod est in extrema necessitate; seù nullus habet obligationem, seù debitum subueniendi proximo, nisi quando constat, quod proximus est in estrema necessitate; ideo quando probabile est, quod non sit in extrema necessitate, non tenemur ei succurrere. Ita quando de re aliqua est controuersia, cuius sit, non habet proximus ius certum, vt ei reddatur, quia probabile est, quod super illam nullum habeat ius. Ideo neq; correspondet in possidente debitũ restituendi, vndè potest illam retinere. Secus in casu nostro; nam proximus habet certum ius, vt sibi ministretur validum Sacramentum, habet certum ius, vt nõ priuetur effectu Sacramenti; ideo huic iuri non correspondet, qui Sacramentum tantum probabiliter validum confert, suo enim iuri non fit satis; ius enim certum non debet exponi periculo, quod frustretur.

Quin retorquetur argumentum. Si quis haberet certum ius, vt ei ministraretur cibus verè aptus, sufficeret ne illi ministrare cibum probabiliter tantũ aptũ,

cum posset ei ministrari cibus certò aptus? certè non; quia certo iuri non debet satisfieri per solutionem incertam. Idem dico de habente ius ad solutionem in certã moneta; diceretur ne illi factum satis, si ipsi fieret solutio in moneta etiam verosimiliter certa? certe nõ. Idem dic in casu nostro.

Sed quæres. Dum dicitur in Conclusione posse quem in casu necessitatis vti opinione probabili, intelligitur ne etiam, quando ministranti immineret damnum graue, puta mors &c. si ministraret iuxta sententiam certam.

Respondet Io. Sanchez *loco citato nu.* 12. affirmatiuè, & citat Anton. Perez *in laurea Salmant. certam.* 10. *c.* 12. *&* 13. & rationem affert; quia cum proprio dispendio non tenetur quis pro alio securiorem opinionem sequi.

Verum hæc ratio non sufficit; licet enim euitetur per hoc peccatum contra charitatem, & contra iustitiã ortam ex officio, quia officium non obligat cum graui dispendio, & etiam contra obedientiam debitam Ecclesiæ, quia Ecclesia non obligat cum graui damno; attamen non euitatur peccatum contra Religionem propriè dictam; dicet enim aliquis debere illum potius mori, quam inferre iniuriam Deo, vt auctori Sacramentorum, qualis irrogatur, dum relicta certa, sequimur opiniones probabiles in materia Sacramentorum.

His autem non obstantibus respondeo, & ego affirmatiuè; quia Deus, quando de abusu certo Sacramenti non constat, & est validum motiuum, quod Sacramẽtum non sit irritandum, non obligat cum tàm graui incommodo, modo desit contemptus; sufficit enim Deo, quod voluntariè non exponamus Sacramentum periculo irritationis. Vrgeo. Vult Deus, vt moraliter

quan-

quantum possumus, sequamur certam viam in confectione Sacramentorum. Benè; qui sequitur minus probabilem cum periculo mortis, eligit viam, quam moraliter potest; quia certiorem moraliter non potest; nec enim moraliter possumus, quod sine graui periculo non possumus; vndè tunc moraliter non suppetit sententia certa, ideo Deo non fit iniuria.

Si quis autem contendat debere potius ministrantē, vel suscipientem Sacramentum mori, quam exponere illud periculo irritationis, dicere poterit in hoc casu, vt etiam euitet periculum mortis, vel damni grauis posse non habere intentionem conficiendi Sacramentum; & sic vti quidem opinione, quā vult Tyrannus, sed ipsi illudere, & Sacramentum non exponere illi periculo, modo desit scandalum, vel quid simile. Quod quidem probari potest à contrario ex sacra Scriptura. In libris enim Machabæorum habemus, quod Eleazarus noluit vesci cibis, qui realiter non erant contra legem, sed fingebantur esse, rationem hanc afferens; quia scandalum iuuenes essent passuri. Ergo remoto periculo scandali, cur non poterit ille tiranno illudere, si nullum malum inde supponitur posse oriri, & ex alia parte hoc bonum fit, quod Sacramentum periculo irritationis non exponitur?

Igitur absurdum quidem est, quem posse vti opinione probabili in materia Sacramentorum; sed inde quid contra nos? profecto non valet illatio; ergo neq; vniuersaliter in alijs materijs possumus; nam est disparitas manifesta, quia vniuersaliter nulla iniuria fit Deo, nullum damnum irrogatur proximo, quod teneamur euitare, nec contra officium nostrum peccamus, nec cōtra obedientiam Deo, vel Ecclesiæ debitam; ideo &c.

Dices: Etiam in materia iustitiæ semper sequenda

erit

erit ſententia probabilior; tùm quia, tunc etiam ſumus in queſtione facti, an ſcilicet res, de qua eſt cõtrouerſia, ſit noſtra, vel proximi; tùm quia, ſi opinio, quam ſequimur, ſit falſa, graue damnum infertur proximo, cuius res vel detinetur; vel ab illo aufertur.

Pro intelligentia aduertendum eſt, aliud omnino eſſe quæſtionem facti, aliud quæſtionem circa factum; quæſtio facti eſſet, quando ſuppoſita obligatione aliquid faciendi, & illud ponẽdi à parte rei, quærimus, an tali, vel tali modo operando illud verè fiat, & ſubſiſtat. Quæſtio verò circa factum eſt, quando diſputamus quomodo aliqua res in re ſe habeat, quomodo in ſe vera ſit. Vndè vides maximam eſſe differentiam, inter has duas quæſtiones; prima enim eſt in ordine ad aliquid faciendum: ſecunda vero in ordine ad ſciendum, quomodo res in re ſe habeat. Et hinc diuerſimodè procedendum in quæſtionibus facti, & quæſtionibus circa factum; nam in illis, cum ſit obligatio ponendi rem in eſſe, & faciendi, vt ſubſiſtat, in tantum rectè operabimur, in quantum meliori modo, quo poſſumus moraliter ſaltem, curabimus ponere rem in eſſe, & minus quàm poterimus exponemus rem periculo, quod non ſubſiſtat; at verò in iſtis rectè operabimur, ſi ſecundum, quod prudenter comprehendemus, & iudicabimus, agemus; non enim aliam obligationem habemus, quàm prudenter factum, ſeù, quomodo res ſe habeat, examinandi. Hinc ad argumentum.

Reſp. negando illatũ, nam non ſumus in quæſtione facti, ſed circa factum; in materia enim iuſtitiæ non quæritur, an reddendum ſit, vel detinendum aliquid, nec Deus præcipit, vt ego reſtituam, vel detineam, ſeù auferam aliquid ab alio, nàm per ſe hoc non quæritur; ſed ſolum, quod quæritur eſt, an res ſit mea, vel

aliena: hoc est quod quæritur, ex huius postea inquisitione sequitur, an res detinenda sit, vel restituenda.

In materia siquidem iustitiæ hæc principia sunt certa. Quod meum est, detinendum; quod alterius restituendum, fundata in illo principio; *Ius suum cuiq; tribuendum*; de his principijs est nulla controuersia, sed solum cadit sub quæstione, an hoc sit meũ, vel alterius; Vnde in hac materia solum est obligatio sciendi, cuius res sit. Quia autem cognitiones euidentes habere non possumus, obligamur ad acquirendas notitias probabiles de veritate rei; magis autem, vel minus non officit, quia semper sumus in eodem genere, & nunquam transgredimur fines iudicij prudentis. Ideo in materia iustitiæ sequendo probabiles opiniones, rectè agimus, & sine peccato.

Ad id, quod additur, quod si opinio sit falsa, graue damnum sequitur proximo. Resp. nobis hoc damnũ non imputari ad culpam, quia illud non tenemur euitare, dum enim nõ constat nobis de Iure proximi, nisi probabili, cum quo stat etiam, quod Ius nõ habeat; certè stat etiam, quod nos probabile ius habeamus: & licet proximus maius, & nos minus, semper tamen sumus in eodem genere; nos non tenemur certam solutionem adhibere, seù certò restituere. Tunc ergo bellũ est vtrimq; iustum formaliter loquendo, (licet materialiter, realiter solum ex parte vnius sit iustitia) quia vterq; nostrum ius habet probabile ad eamdem rem; & sicut ego, quia non constat de iure proximi certo, possum rem detinere, & non restituere; sic proximus quia ius probabile habet pro se, & illi non constat de iure meo certo, potest rẽ à me possessam debitis modis recuperare.

E contra autem Medicus, & minister sacramentalis,

lis, secundum probabiliorem tenentur agere, quia proximus habet ius, vt ei certo, & tutiori modo subueniatur, & ipsi ex officio ad hoc tenentur. Iudex etiam tenetur secundum iura partium decidere, & pro eo, cui magis ius fauet, sententiare, & per consequens secundum probabiliorem: quia adhoc constitutus est, & in præhabendo vnum alteri, non debet moueri ex passione animi, seù ex arbitrio, sed ex excellentia iuris; ipse enim adhoc est ordinatus, vt rem adiudicet illi, pro quo non dico sit certum ius, quia hoc difficilè innotescit; sed pro quo sit maioritas iuris, excessus rationis, vno verbo, debet Iudex iudicare secundum allegata, & probata.

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur alia argumenta.

ALia nouem argumenta congerit Candidus contra nostram sententiam ab auctoritate deducta. Primum est *Eccles.* 3. habetur *Qui amat periculum peribit in illo*. Ex quo sic arguit. Qui non vitat, quantum potest periculum peccandi materialiter, quod quantum potest, nempè adhibita morali diligentia quisque vitare tenetur, amat periculum, & perit in illo, seù peccat formaliter; sed qui minus probabilem sequitur, non vitat, quantum potest periculum peccandi materialiter; ergo &c. Maior patet, minor probatur, quia qui eligit rem habentem plus de periculo, quam rem habentem minus, vtiq; non vitat periculum, quantum potest; sicut eligens monetam habentem minora signa bonitatis, non vitat periculum, quantũ potest errandi in moneta, talis est minus probabilis concurrens cum probabiliori; ergo &c.

Resp. Verissimam esse sententiam *ex Eccles.* desumptã; sed eum, qui sequitur minus probabilẽ, non amare

peri-

periculũ, ſed certo ſine periculo agere, cum infallibiliter honeſtè operetur. Ad argumentũ dico debere hominẽ vitare periculũ peccandi materialiter, hoc eſt faciendi rem in ſe inhoneſtam, moraliter, hoc eſt adhibita ſufficienti diligentia morali, non ſumma, quam Deus à nobis non exigit; ſed prudenti, qualem adhibet, qui minus probabilem ſequitur; iam enim fecit diligentiam moralem inueniendi veritatem; & prudenter eligit, quam partem vult, cum nullibi certo veritatem inueniat. Et alioquin ſequendo minus probabilem, habet ſufficientia, & valida fundamenta, quibus ipſi innoteſcit rem eligendam eſſe honeſtam; vndè non temerè procedit, ſed cum fundamento graui, & per conſequens prudenter; hinc vitat, ſi non quantum poteſt, ſaltem quantum debet periculum peccandi materialiter, quod ſufficit.

Ad probationẽ minoris, dico, quod licet res electa videatur plus habere de inhoneſtate, quam de honeſtate; quia tamen ſimpliciter habet, quantum ſufficit de honeſtate; habet enim grauiſſima fundamenta, & rationes validas prohoneſtate, inde prudenter poteſt eligi, & ſufficienter vitatur periculum; quia illud plus, vel minus eſt in eodem genere, nec tollit periculum ſimpliciter.

Addo, quod omnis obligatio vitandi inhoneſta in ſe, non eſt in ordine ad ipſa, ſed in ordine ad noſtras actiones, quarum honeſtatem per ſe Prudentia reſpicit, & Deus attendit. Igitur ſolum debet homo euitare periculum, quod res ſit inhoneſta in ſe, in quantum poteſt cauſare, quod noſtra electio ſit inhoneſta; ſed ex hoc ipſo, quod res probabiliter ſimpliciter iudicatur honeſta, noſtra electio certo, & infallibiliter eſt honeſta; ergo ſatis prouiſum eſt periculo peccandi &

nostræ saluti per hoc, quod res electa sit probabiliter honesta simpliciter, siue magis, siue minus: & per consequens illa sine vllo timore est eligibilis.

Ex quo patet verissimum esse, quod docuit Io: Sãch. *d. 44. cit.* nempe ex duabus opinionibus vna probabili, & altera probabiliori, neutram esse tutiorem, aut securiorem alia; licet enim probabilior videatur esse magis tuta in ordine ad rem, de cuius honestate differit; tamen in ordine ad nostram electionem est æqualis in securitate cum probabili; quia probabilitas simpliciter illa est, quę nostras electiones reddit certò honestas: quod autem certò honestum est, non est cur certius honestetur: sed in probabilitate simpliciter conueniunt probabilis, & probabilior; ergo &c.

Ideo ad exemplum de moneta dicas, quod si habere signa valida bonitatis redderet certò monetam expendibilem, sinè periculo, vtique quis eligeret monetam habentem illa valida signa, licet minora, quam haberet altera; quia in ordine ad suum finem perinde ei inseruiret: & sic eligens diceretur fecisse sufficientem diligentiam, vt monetam veram assequeretur; sic est in casu nostro; ideo &c.

Secundum est. *Qui cito credit, leuis est corde. Ecclesi.* 19. & *in rebus dubijs non est de facili præstandus assensus*. Ex D. Th. *quodl.* 3. *a.* 10. & loquitur de dubio, quod oritur ex contrarietate opinionum.

Item *quodl.* 8. *a.* 13. docet S. D. ad non peccandum requiri, quod quis in nullam dubitationem adducatur; nec adinueniat aliquid, quod eum moueat ad hoc, quod sit illicitum. Sed qui sequitur minus probabilem, & cito credit, & inuenit aliquid, quod non solum eum mouet ad illicitum, sed etiam plus, quàm ad licitum. Imo remanet in dubio simpliciter, cum non pos-

sic opinari licitum; ergo hic sic operans leuis est corde, & imprudenter operatur.

Confirmatur quia, Qui ad pauca respicientes de facili enunciant, imprudentes sunt; ergo etiam, qui ad pauca respicientes de facile eligunt; sed qui sequitur minus probabilem, ad pauca respicit; pauca siquidem motiua habet minus probabilis in comparatione probabilioris; ergo imprudens est, in opinando, & in eligendo.

Resp. Non citò credere, nec de facili præstare assensum, qui mouetur ex opinione minus probabili; quia hæc grauissima habet fundamenta, nec temerè prolata, alias probabilis non esset. Quod adducitur *ex quodl.* 8. iam explicatum est *d. p. sect. v.* intelligi debere de dubio quò ad actionem, non verò quò ad materiam; quò ad actionem autē etiam sequens minus probabilem, nullam habet dubitationem, certò enim scit illam esse honestam. Et sane, si doctrina illius articuli *ex quodl.* 8, esset intelligenda de honestate, seu licito materię electionum nostrarum, neque liceret agere secundum probabiliorem. Videatur *dicta sect. v.*

Ad confirmationem dico illos esse ad pauca respicientes, qui ex motiuis primo intuitu occurrentibus nullā facta discussione, nec inuestigatione rerum in contrarium, statim enunciant; isti profectò imprudentes sunt, etsi agant hoc pacto, peccant; sed qui sequitur minus probabilem, iam ad omnia respexit; ponderauit etiam motiua partis oppositæ, quæ vidit non conuincere, & cognoscit euidenter posse eis subesse falsū; & sua valida esse cognoscit, & scit suam opinionem posse esse veram. Vnde non de facili enunciat, nec imprudenter, sed prudenter ex præuia consultatione; & licet minora motiua sequatur, nō proinde ad pauca

 respe-

respexit, sed ad omnia quam pro sua parte, quam pro opposita, vnde non leuiter, nec de facilioribus statim primo occurrentibus impuletur.

Tertium est: *Iob* 29. habetur, *causam, quam nesciebam diligentissime inuestigabam*; certè, ait Candidus, non propter aliud hoc faciebat vir iustus, nisi vt verum assequeretur, & rectum iudicaret; sed qui sequitur minus probabilem, non inuestigat diligentissimè causam; ergo peccat.

Confirmatur: quia, si nobis interrogantibus de via, vnus responderet vno modo, & alter paris auctoritatis opposito modo; si vni assentiremur præ alio, non diceremur fecisse sufficientem diligentiam; sed alterum deberemus quærere, & sic maiorem diligentiam adhibere; ergo idem in casu nostro.

Resp. primo Iob benè fecisse; sicut bene faciunt omnes sequentes probabiliorem, nec enim illos condemnamus; sed dicimus etiam bene facere, qui sequuntur probabilem, quia diligenter inuestigant causam, quam nesciunt, & prudenter inuestigata eligunt cum graui fundamento, & non temerè. Et sanè si ista essent nobis regula agendorum non præteribilis sine peccato, væ nobis.

Resp. secundo, hanc auctoritatem non esse ad rem, quia ibi loquitur Iob de seipso, quando erat Iudex; & tunc dicit se causam iudicandam diligentissimè inuestigasse: debere autem iudicem sequi semper probabiliorem, dictum est *sect. præced. conclus.* 2. sed non valet illatio, ergo vniuersaliter semper tenemur sequi probabiliorem, vt ibi ostensum est. Quod autem ibi Iob loquatur de seipso vt Iudice populi, patet ex contextu, & clarissime *ex gl. ibidem* adiunctis varijs expositionibus DD. ibidem. Vna enim expositio ait, *causam*

quam

quam nesciebam &c. ne forte motu pietatis indulgerem pauperi in præiudicium iustitiæ; hoc est sententiam facerem in fauorem pauperis. Et alia expositio habet, *vide hinc magnam diligentiam adhibendam esse in ferendis sententiis*.

Ad confirmationem dico, quod si interrogati de via sint viri magnæ auctoritatis, adeo vt eorum dictum reddatur probabile, potest cuilibet prudenter credi, & diligentiam moralem sufficientem fecisse dicetur, & nō temerè motus, quicumq; vnam ex alterutrius dicto elegerit; præsertim si ex hoc, quod ipsis fides adhibeatur, nullum subsit periculum formale errandi, vt in casu nostro. Ideo etc.

Quartum est. 3. *Regum c.* 12. Reprehenditur Roboam, quod secutus fuerit consilium iuniorum, ex quo regni partem amisit, et reliquerit consilium seniorum; non nisi quia hoc melius, quàm illud, hoc probabilius, illud minus probabile; ergo peccat, et imprudenter agit, qui præfert minus probabilem probabiliori.

Resp. In primis, quod in eo cap. non reprehenditur Roboam quasi imprudenter egerit, sed solum dicitur. *Non acquieuit Rex populo*, et infelicitas Consilij illius explicatur. Sed esto, quid contra nos? Consilium illud fatuum omninò fuit, superbum, et imprudens. Vnde *Eccl.* 47. appellatur Roboam stultus, et imprudens. Et sane temeritatis opus fuit acribus verbis, et adeo superbis populum exasperare iam concitatum, et quod caput est, congregatum, ideoq; promptum ad seditionē.

Addo, quod Roboam visum est probabilius, & melius consilium iuniorum, qui erant plures in numero, quàm illud, quod dabant consiliarij senes; & non erant iuuenes in ætate, nam habebant circiter quadraginta annos, erant enim nutriti cum Roboam, & coętanei

ipsius,

ipsius, qui tot annos tunc habebat.

Quintum est. S. August. vt refertur c. *in Canonicis d.* 19. docet in scripturis, quæ ab omnibus non recipiuntur, præponendas eas, quas plures, grauioresq; recipiunt his, quas pauciores, & minoris auctoritatis in Ecclesia admittunt; ergo ex D. Aug. semper iuxta grauiora motiua est iudicandum, ac proinde probabilior tenenda.

Resp. Hanc auctoritatem non esse ad rem; S. Aug. enim non loquitur de scripturis contrarijs, quasi vna sit eligenda, altera vero negligenda; sed loquitur de scripturis disparatis, quas omnes dicit debere coli, & in honore haberi; sed præferendas illas, quas plures admittunt: præferendas inquam, non quasi aliæ debeant negligi, sed præferendas in honore, hoc est pluris æstimandas, quàm alias, quæ tamen etiam sunt æstimandæ, & honore afficiendæ. Legatur Archidiaconus *super dictum c.* Vnde hæc auctoritas potius pugnat pro nobis; nam sicut scripturæ minoris auctoritatis sunt honorandæ, recipiendæ simpliciter, licet aliæ magis; ergo opiniones minus probabiles simpliciter possunt admitti, licet probabiliores magis; non magis exclusiuè ad illas, sed maiori in honore, & potiori iure.

Sextũ est. Ex D. Th. *quodl.* 8 *a. cit.* Qui facit, quod dubitat, an sit illicitum, peccat. Item volunt omnes requiri iudicium probabile de honestate operis; sed qui sequitur minus probabilem, hoc iudicium non potest habere; habet enim fortiora motiua pro illicito, quia probabilior est sẽtentia dicens esse illicitum; ergo &c.

Huic argumento iam respondi; iterum dico requiri iudicium euidens, non modo probabile de honestate non materiæ, sed actionis antonomasticè, nempè electionis, quod interuenit etiam sequendo minus probabilem,

babilem, vt probatum est; nec requiritur iudicium actuale de honestate materiæ, seu licito obiecti, sed solum, quod possit esse; potest autem esse hoc iudicium, cum probabile simpliciter est materiam esse honestam; liberum enim est opinari, cum sunt valida motiua pro parte opinabili, qualia semper sunt, cum opinio est probabilis, etiã si pro parte opposita sint motiua fortiora, vt ostensum est. D. Thom. item est intelligendus quoad electionem, non verò quò ad materiam, vt supra.

Septimum est. S. D. ibidem docet in contrarietate opinionum, si vna est eligenda, alteram debere improbabilem videri; & nihil mouere; ergo à fortiori non debet esse probabilior.

Resp. Vt supra S. Th. esse intelligendũ quò ad honestatẽ actionis; alias neq; liceret agere secũdũ probabiliorem: etiã siquidem quando vna est probabilior, non proinde altera improbabilis est, & nihil mouet, ideo &c.

Octauum, & nonum legale est. Ex Theodosij edicto a. 435. in sententijs proferendis debebat attendi numerus DD., & in pari numero illa pars vincebat, pro qua stabat excelsi vir ingenij Papinianus, quia censebatur probabilior. Item per vniuersum orbem terrarum iam vsus inualuit, vt controuersiæ omnes decidantur per maiorem partem suffragiorum, & nunquam pars minor, & deterior vincat; ergo etiam in causis animæ, & in foro conscientiæ probabiliori semper standum est.

Resp. Quod vt iam dixi, si hoc quoq; pacto nostra præsens quæstio decidenda esset, profectò, vel ex hoc solum causa caderet Candidus, quia multò plures DD. sunt pro nostra sententia, quam pro opposita.

Directè autem dico in primis edictum illud Theodosij non fuisse prudens, vnde abrogatum fuit per Iustinianum sapientissimum legum conditorem *l. p. §. sed neq;*

neq; C. de veteri Iure enucl. vbi pręcipit Imperator non semper iudicandum iuxta multitudinem Auctorum. Secundo supra ostendi non posse inferri, ex hoc; quod in foro fori debeat ferri sententia iuxta probabiliorem, quod idem debeat fieri in foro animæ. Tertiò aliam disparitatem intrinsecam assigno. Nam necesse est in foro fori controuersias finiri, & terminari, alias Mundus semper litibus esset plenus; ergo vni sententiæ solum adhærendum; aliàs si contrarijs sententijs possent homines adhærere, vnus quisq; illi, quæ sibi fauet, nõ finirentur profectò controuersiæ; si ergo vni tantum adhærendum, profectò illi, quæ maius habet ius, quæ maiora habet pondera rationum. Vnde qui sequeretur sententiam pauciorum, non peccaret quidem, quia haberet pro se validum fundamentum; tamen non potest illam sequi, & cogitur stare oppositæ, quam scilicet Iudices ferunt, alias sequeretur illud inconueniens, quod lites non finirentur. At verò in causis animæ Deus nullam aliam litem habet nobiscum, nisi quando lædimus honestum peccando; quia ergo sequendo vtramq; partem non peccamus, ideo lis nostra cum Deo vtroq; modo terminatur, & iustitiæ diuinæ fit satis, quæ in nostram partem semper venit, & nostræ sententiæ sẽper adhæret, cum honestè operamur. Ferant igitur DD. qui sunt Iudices rerum agibilium in moralibus, contrarias sententias, sequamur, quam volumus, ego vnam, Petrus aliam, nullæ lites remanent cum Deo. At in foro fori, si Iudices ferrent oppositas sententias, quarũ quãlibet vnusquisq; pro libito sequi posset, remanerent omnia sub litibus, vt prius; ideo &c.

Vltimum fit ex D. Io: Chrysost., seu Auctore imperfecto *in Matthæum homil.* 44. *in c.* 23. habentur hæc verba. *Si vestimenta empturus giras vnum, & alterum*

terum negotiatorem: & vbi meliores vestes inueneris, & pretio viliori ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire omnes DD., & inquirere vbi sincera Christi veritas venundatur, & vbi corrupta; & veriorē eligere, plusquam vestimentum? ergo debemus in agendo facere summam diligentiam, & semper sequi probabiliorem.

Resp. Quod in primis hęc auctoritas potest intelligi de consilio, non de præcepto. Deinde hic textus non est ad rem; ibi enim est sermo de rebus credendis, & de veritatibus fidei; & loquitur ille auctor ad illos, qui sunt in Ciuitate, in qua sunt DD. Catholici, & Hæretici, & dicit illos non debere ad primam tabernam subsistere; sed inquirere, vbi est veritas Christi, & non acquiescere statim primę doctrinæ inuentæ, quæ potest esse corrupta, & formalis error, eo quia sit contra manifestum scripturæ testimonium, vel definitionē Ecclesiasticam. At in casu nostro doctrina licet minus probabilis non est veritas corrupta, nec error, & probabilior non est vera Christi doctrina: potest esse siquidem & ipsa falsa; Ideo maxima disparitas.

Corollaria ex dictis.

PRimo, Ex doctrina tradita in hoc opusculo patet totam doctrinam, & conclusiones omnes Candidi Philalethi *in sua disput. de opinionum praxi* corruere, per solam negationem illius principij, quo nimium fisus est, & quo firmauit conclusiones omnes: nempè, quod non sit liberum opinari, quod principium esse falsum satis superque ostensum est.

Patet secundo, Omne probabile posse opinari, etiam in concursu cum probabiliori: et omne probabile posse in praxim deduci, et solam probabilitatem simpliciter

esse regulam operis,& rationem formalem Prudentiæ, per quam Prudentia refundit suam honestatem in actiones morales.

Patet tertio, Ex quacumque sententia de licito seu honestate materiæ sequi euidentiam de honestate electionis, quam per se formaliter Prudentia respicit, & dirigit; vnde cum opinione etiam minus probabili de honestate materiæ,non modo subsistere iudiciũ actuale probabile de honestate actionis propriè dictæ, sed certum, & euidens:& hinc supra materiam quidem, seu obiectum electionis cadere opiniones probabiles contrarias: circa actiones autem, seu electiones nequaquam.

Patet quarto,Illud argumentum Antiquorum, quod iactat Candidus insolutum corruere, per illam distinctionem adnotandam, & fusè explicatam materiæ, & electionis; obiecti, & actionis circa obiectum. Nam etiam sequendo minus probabilem est iudicium certũ, & euidens de honestate electionis, cuius honestas per se intenditur, & in qua solum formaliter potest consistere peccatum, & super quam solum cadit iudicium practicum prudentiale, & conscientiæ. Iudicia ergo probabilia cadunt supra materiam electionum. Euidẽtia vero iudicia sunt de honestate electionis: quæ quidẽ iudicia euidentia interueniunt, siue ab eligente materia iudicetur honesta, siue non; dummodo euidens sit dari opinionem verè probabilem, hoc est cum valido fundamento de honestate materiæ. Quam quidem materiam possumus iudicare honestam, licet fortiora motiua sint in oppositum, dummodo simpliciter valida motiua appareant, facta diligenti inuestigatione pro illius honestate: liberum enim est opinari.

Patet quinto, Ad eligendum prudenter opiniones, non

non esse inquirendum, quæ sit tuta, vel tutior, sed sola probabilitas debet considerari: hęc enim sola est regula honestæ actionis, & vbi illa est, omnis opinio tutissima est, & electio certò sequitur sine peccato.

Patet sexto, etiam in casu mortis posse quem sequi opinionem minus probabilem; nàm si sequendo illam viuens non peccat, sed certò honestè operatur, quare peccabit moriturus.

Patet septimo, Tàm doctum, quàm indoctum posse sequi opiniones sine peccato; opiniones quascumque, dummodo probabiles simpliciter sint. Doctus autem facilè poterit iudicare de probabilitate simplicer cuiuscumq; opinionis; indoctus verò debet stare viro prudenti, & sapienti, seù bona fide existimato tali, siuè sit Parochus, siuè non, quod enim ab ipsis accipit, probabile euidenter ipsi est. Parochi autē & etiam Confessarij, non multùm in litteris versati sumant sibi librum alicuius Summistæ Classici, præcipuè recentioris, & iuxta illum agant, & consulant, vel iuxta DD. Classitos ab auctore prędicto citatos. Et sic infallibiliter sine peccato agent.

Hinc gaudeant fideles, & scrupulosi pręcipuè deposito quocumq; timore, & formidine collętētur. Laudemus omnes nomen Domini, qui fecit nobiscum misericordiam suam. Voluit Dominus Deus iugum suum suaue esse, & onus ipsius leue; ideo varias permittit in Ecclesia sua opiniones, varias sententias, & in quacūq; complacet, vt incedamus. A nobis non exigit summam diligentiam, sed moralem, sed prudentem: & licet in facto erremus, nil curat, nec nobis hoc imputat ad culpam; cum non id, quod in re agimus, sed cor nostrum solum, nostram intentionē respiciat misericors Pater.

Quod eleganter expressit pulcherrimis verbis Hen-

riquez *in Procemio Summæ*, vbi ſic ait. *Errare cum Platone, aut inſigni Theologo, dum latet ignota veritas ſpeculatiua, non nocet in praxi: in quo Theologus differt à corporali Medico, qui ſi morbi vim, quamuis ſine culpa ignoret, necis occaſio ſolet; ſed qui ſapientum, aut prudentum ſententiæ probabili acquieſcit, nullum patitur periculum conſcientiæ. Deus enim ita nobis ignorantibus indulget, vt eam ſententiam confirmet ad ſalutem, vt per medium ſpirituale, ſanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota ſunt.*



DISPVTATIO VLTIMA.

De prudenti actione in dubijs, siuè vt communiter dicitur, de conscientia dubia.

PRo complemento huius Opusculi superest inquirendum, quid homo agere debeat in dubio formali orto ex insufficientia motiuorum, quando scilicet intellectus hęsitat, & neutri parti assentitur, quia non potest, ex defectu rationum, seu motiuorum grauium, quæ necessario requiruntur ad opinandum. In quo casu, non licere quamlibet partem sequi, sed necessariò tutiorem esse amplectendam, & in praxim deducendā omnia iura clamant. Quia autem dubium potest esse triplex Iuris, Voti, & Facti; Iuris, cum quis dubitat, an aliqua lex sit, aliquid pręcipiens; Voti, cū quis dubitat, an votum emiserit, necne; Facti, cū quis dubitat, an an aliquid fecerit. Ideo triplex solet institui quęstio; qua omnia ad conscientiam dubiā spectantia resoluuntur; scilicet, an in dubio Iuris, Voti, & Facti quis teneatur semper tutiorem sequi, hoc est illam partem amplecti, in qua non potest contingere peccatum.

Vt hę difficultates clariori methodo resoluātur, sit.

SECTIO PRIMA.

Quid agendum in dubio Iuris.

COncurrunt omnes DD. in hoc, scilicet cum dubio practico ipsam electionem, seù actionem concernente, siuè honestatē ipsius, non posse quem agere, ex quocumq; capite oriatur dubium, Siuè ex dubio speculatiuo Iuris, siuè voti, siuè facti: hic enim valet illud Apostoli, *Quod non est ex fide peccatum est.* Solum ergo quærunt, an stante dubio speculatiuo Iu-

ris,

ris, possit apparere aliqua ratio, qua dubium practicum deponatur, & sic cum tali dubio speculatiuo possimus agere.

In quo quidem diligentia DD. varias, & eas contrarias inuenit opiniones. Aliqui enim absolutè censent in quocumq; dubio partem tutiorem esse sequendam. Alij vero licet id concedant in dubio facti, negant in dubio Iuris, & Voti. Sed meo iudicio in hoc puncto absolutè nulla sententia ferri potest, sed cum distinctione maxima procedendum; quod, quia à DD. fortè parùm hactenus præstitum fuit; ideo hæc difficultas, quæ alioquin maximi ponderis est, & vsualis, confusa admodũ manet. Quibusdam vero adhibitis distinctionibus, fortè omnium sententiæ, quamuis contrariæ videantur, conciliabuntur. Vt autem ab Iure incipiam.

Animaduertendum Ius esse triplex, naturale, diuinum, & positiuum. Sub hoc comprehendo Ius scriptũ, & nõ scriptum, siuè sit particulare, siuè sit vniuersale. Dupliciter autem potest intelligi, quod quis sit dubius dubio Iuris. Primo, quia ambigat, an verè detur Ius, præcipiens aliquid agendum, vel omissionem illius. Secundo, quia licet constet de iure, quis dubitat, an tali Iure teneatur.

Primo autem modo dupliciter potest contingere dubium. Primo adęquatè, scilicet ex vtraque parte, siuè affirmatiua, nempè asserente dari tale Ius; siuè negatiua, scilicet negante, eo quod pro nulla parte sint rationes validæ sufficientes ad opinandum. Secundo, inadæquatè ex vna parte tantum; quia scilicet E. G. pro parte affirmante dari ius sint quidem rationes validæ, & ponderantes, sufficientes ad opinandum; at vero pro parte negatiua nullæ sint rationes positiuę, quæ positiuè ostendant tale ius non adesse; et tunc pars

affir-

affirmatiua non erit sub dubio, sed sub opinione: erit enim opinabilis; pars autem negatiua dicetur esse sub dubio. In quo casu potest homo duplici modo se habere: vel quia non solum nullas habet rationes positiuas pro parte negatiua, sed etiam nesciat respondere, nec probabiliter, rationibus partis affirmatiuæ, nec sciat vllum ills soluere, licèt illæ alioquin euidentes non sint, et absolutè conuincentes; vnde ille adhuc formidet de earũ veritate. Secundo ita se habere, vt licet pro parte negatiua nullas rationes positiuas habeat, probabiliter tamen soluat rationes probabiles partis oppositę. Pro vtroque casu sit.

Conclusio Prima.

DVbius dubio cuiuscumq; iuris adęquatè non tenetur tutiorem sequi, sed pro libito potest, quã voluerit amplecti sinè peccato. Dubius inadæquatè, si probabiliter soluat rationes partis affirmantis, & ius inducentis, esto pro se nullas habeat rationes positiuas; potest etiam sine peccato, quam voluerit, sequi. Dubius autem ita inadæquatè, vt nullo pacto soluat, nec sciat ab alijs solui rationes partis affirmantis, esto illæ probabiles tantum sint, et non conuincentes, tenetur tutiorem sequi.

Conclusio procedit supposito, quod prius sit facta sufficiens diligentia, qualis prudenter in moralibus fieri debet; nam antecedenter ad debitam diligentiam, quocumq; modo quis esset dubius, non eligendo tutiorem, peccaret, quia se exponeret periculo peccandi temerè, quia non præcessit debita diligentia; & signum esset, quod vellet id agere, siue esset licitum, siuè illicitum, quod profectò peccare est. Habet autem conclusio tres partes, quarum quælibet seorsim probanda est.

Prima

Prima igitur pars conclusionis probatur, primo quia *in cap. Inquisitioni de sententia excom.* pręcipit Pontifex, vt vxor dubia de morte viri prioris, seù quod aliud impedimentum adsit, matrimonium secundo initum dirimens, ita se habeat, vt si dubitet, vel credat adesse tale impedimentum, dubio leui, & credulitate parùm fundata, dictam dubitationem, & credulitatē explodat, & illius nulla habita ratione petat prohibito debitum, & reddat. Si autem credat, vel dubitet persuasione probabili, & discreta, reddat, sed non petat. Ergo quotiescumq; ad dubitandũ mouemur rationibus leuibus, & parui momenti, non sufficientibus fundare persuasionē probabilem, & discretam, talis dubij nulla habēda est ratio, sed agendũ nõ secus, ac si non esset; ergo & in casu nostro de dubio iuris; cum vel sit eadem ratio de facto, & iure, vt vult Vasq. Vel, vt volunt alij, à fortiori, quod de facto dicitur de iure dicendum sit.

Secundo. Quia ex hoc ipso, quod nullæ sint rationes validæ, quæ ostendunt, & probant tale ius adesse, probabiliter est certus, & cum graui fundamento tale Ius non adesse; sanè non obligare. Quia sententia negans dari ius aliquid præcipiens, & oriri obligationem ex illo, probabilis ex hoc ipso est, quod soluat omnes rationes in contrarium, & facta sufficienti diligentia nihil remaneat, quod non soluatur; vel à fortiori, quando nihil occurrit validum iuris assertiuum; cum actore non probante reus absoluatur, & asserentis esse ius, sit probare, negantis vero solum respondere, vt ostensum fusè est *d. 2. sect. p.* Ergo iã poterit quis, quam voluerit partem, amplecti, & opinari, vel secundum ius, de quo dubitat, cum in hoc nullum possit esse peccatum, vel secũdũ contrariũ, cũ ad illud habeat opinionē verè probabilem, cum qua certò honestè homo operatur.

Tertio

Tertio quia si nullas haberet dubitationes, posset pro libito agere; ergo si sint tales dubietates, adhuc poterit quoduis agere; patet consequentia, quia istæ sunt friuolæ parui momenti, ac proinde perinde se habent, ac si non essent, vnde potius sunt scrupuli, quam dubia, quorum debeat haberi ratio; Vnde contra illa consultum erit agere, præcipuè scrupulosis iuxta communem DD. sententiam.

Quarto, quia pro parte negante esse Ius, vel vllam obligationem ex iure inductam, semper est validum fundamentum positiuum, quando nihil validum est in contrarium, nempe possessio humanæ libertatis; homo enim ad omnia liber est, nisi vbi præceptis restringitur. Cum igitur simpliciter constet de possessione libertatis, adhoc vt hęc non dicatur possidere hic, & nunc, debet assignari aliqua ratio valida ex parte sententiæ Ius asserentis: alias remanet possessio libertatis in suo robore, & per consequens sētentia negans non solum probabilis est à negatiuo, sed etiam à positiuo.

Secunda Conclusionis pars patet, quia tunc homo non est in dubio, sed in opinione probabili hinc, & inde: sententia enim asserens Ius esse probabilis est, quia probabili, & discreto fundamento munitur; sententia negans probabilis est; tum quia probabiliter soluit rationes partis oppositæ, quod sufficit ad constituendam probabilem opinionem negantem esse Ius, vel obligationem vllam ex Iure; tum quia remanet adhuc saltē probabiliter possessio libertatis; rationes enim partis oppositæ, quæ ad illam destruendam adducuntur, non sunt cōuincentes, sed possunt esse falsæ, quia solū probabiles sunt, & quod caput est, probabiliter soluuntur; ergo probabiliter illæ rationes non efficiunt, ac proinde probabiliter remanet in suo robore possessio libertatis.

Aduerte autẽ diligenter, quod ego non volo, quod in hoc casu homo non possit remanere dubius formaliter, hoc est neutri parti assentiri; hoc enim vltro cõcedam: sed quod contendo est, quod non remanet dubius dubio, de quo in presenti, orto ex insufficientia rationum, quia rationes prolatæ sint parùm efficaces, leues, nec sufficientes ad opinandum; de hoc enim dubio *in hac sect.* solum est sermo, cum quo quero an, & quæ homo possit agere; de primo enim dubio satis egi *d. p. sect.* 5. quod diligenter aduerte, quia in hoc multum æquiuocant DD. vnum cum alio dubio confundentes.

Tertia Conclusionis pars probatur, quia adhoc vt licitè quis possit hoc, vel illud agere, requiritur ad minus iudicium probabile de honestate operis, seù rei agendæ, alias perinde eligeretur licitum, ac illicitũ, & nõ ageretur ex fide, quod peccatum est; sed quando quis nullo pacto soluit rationes partis affirmantis, inducentis obligationem, non potest habere iudicium probabile de parte opposita; ergo nequit talem partem eligere, & secundum illam agere; ergo tenetur tutiorem sequi. Minor probatur, quia adhoc, vt habeat iudicium probabile de parte opposita debet habere aliquam rationem validam pro illa; que autem ratio hec erit, si nullam supponitur adesse, nec positiua, nec negatiua? aut quæ ratio stante hoc dubio speculatiuo tollit dubium practicum circa electionem?

Dices: Possessio humanæ libertatis, quæ semper viget, quando non est ratio conuincens in contrarium, qualis absolutè non est in casu nostro.

Contra tamen est, quia possessio humanæ libertatis moraliter hoc est sine peccato, adhoc vt excuset, & possit suffragari debet ad minus probabiliter adesse; si

enim

enim neque probabiliter est, ergo temerè dicitur esse, & per consequens non suffragatur, quin committatur peccatum. Sed quando rationibus in contrarium nulla adhibetur, vel ab alijs scitur adhiberi probabilis responsio, quæ talis videatur, vel nobis, vel alijs, (tunc enim non essemus in casu dubij, de quo in præsenti, sed opinionis probabilis, hinc, & inde, saltem ab extrinseco,) neq; probabiliter est possessio humanæ libertatis moraliter; ergo tunc hæc non cohonestat actionem. Minor probatur, quia tunc probabiliter subsistit humana libertas sine peccato, quando validum fundamentum est pro eius subsistentia, siuè positiuum, siue negatiuum; sed in casu nostro, nulla valida ratio, nullum fundamētum est tale; non positiuum, quia nulla ratio valida supponitur esse, quæ dictet non esse tale Ius, vel talem obligationem; non negatiuum, quia non soluuntur rationes in contrarium; ergo &c.

Vrgeo. Rationes validæ ius inducentes formalissimè tollunt nostram libertatem moraliter; idem enim est poni ius, seù præceptum, & adimi humanam libertatem moraliter citra peccatum; ergo per illas positiuè aufertur humanæ possessio libertatis; Illa ergo quare debet perseuerare, si aufertur?

Dices, Quia probabiliter tantùm aufertur, nec enim euidens est per tales rationes ius adesse; & licet ego nesciam respondere, adhuc formido de illarum veritate.

Contra tamen est, quia licet euidenter non auferatur, & per hoc absolutè possit talis libertas subsistere, ego tamen nullas rationes habeo validas ad hoc opinãdum: nec quod subsistat libertas, vlla probabilitas, vlla apparentia veritatis suppetit; ergo absolutè perinde debeo agere, ac si non esset, neque enim super eo, quod merè remotè possibile est, possum ego agere sine pec-

cato, & ibi potest fundari honestas meæ actionis; alias sola euidentia rerum obligaret homines, quæ cum in moralibus nunquam sit, nunquam homo esset obligatus ad aliquid: quod profectò absurdissimum est.

Insto. Licet non sit euidens tale Ius adesse, tamen non est probabile tale Ius non adesse: quia pro hac negatiua nulla ratio fundata supponitur esse; ergo absolutè neq; est probabile esse humanam libertatem sine peccato. Probo consequentiam. Esse humanam libertatem sine peccato, & non esse Ius, idem est; sed non est probabile non esse Ius; ergo neq; est probabile esse humanam libertatem moraliter, & sine peccato; ergo nullo pacto, neq; probabiliter remanet possesio libertatis.

Dices. In materia iustitiæ, si quis possidens rem aliquam dubitet, an sit sua, itaut nullas rationes habeat ad opinandum, quod sit sua, & ex alia parte habeat rationes probabiles, quibus nescit respondere, quod sit Petri; Petro repetenti non tenetur restituere fundatus in sola sua possessione; ergo, & vniuersaliter homo fundatus in possessione suæ libertatis, poterit cuicũq; Iuri probabiliter tantum proposito contraire, licet nullas habeat rationes, quibus sibi persuadere possit non esse tale Ius.

Resp. Concesso antecedente, de quo nõ disputo, præsertim si sit possessor bonæ fidei; nego consequentiam, disparitas est manifesta, quia ibi constat de possessione rei, quæ certò adest, quæ proinde certò euidens, potest contraponi Iuri tantum probabili Petri. At verò in casu nostro de possessione libertatis, non modo non constat, sed neq; probabile est illam adesse; ideo &c.

Supposito autem, quod constet de Iure; quis dubitat, an tali Iure teneatur, necne, quid agendum? In primis loquendo de Iure naturali, & diuino, hæc quæstio non procedit, nam talia Iura esse, & omnes obligari

idem

idem est; quod enim natura sua, vel iure diuino malū est, nullactenus effici potest, nec vlla potest esse causa excusans: sicut, quod Iure naturali, vel diuino præcipitur, nullactenus omitti potest, nec vlla in his Iuribus potest contingere abrogatio, vlla dispensatio.

Dices. Sanctificatio festorum est de Iure diuino, & tamen multi excusantur, vel propter inopiam, vel quid simile; ergo non est idem ius diuinum adesse, & omnes obligari.

Resp. Sanctificationem festorum, vt sic, esse de Iure diuino, non verò horum dierum hic, & nunc: sed est Constitutio Ecclesiastica, de qua fateor posse esse dubiū, an aliquando hic, & nunc, & in talibus circumstantijs obliget; Idem dic ad alia exempla, quæ possunt afferri.

Loquendo ergo de Iure positiuo, siue ecclesiastico, siue ciuili, siue vniuersali, siue particulari, siue scripto, siue non scripto, dubium potest contingere, an esto, quod de illo constet, hic, & nunc obliget, vel quia sit abrogatum, vel quia super eo sit dispensatum: vel quia homo sit in talibus circumstantijs, in quibus dubitat, an teneatur. In quo casu loquendo de dubio propriè dicto, scilicet, quod pro se, hoc est ad hoc, quod nōn teneatur quacumq; de causa, nullam habeat probabilem rationem, sed solum parùm fundatas persuasiones (alias essemus in casu opinionis probabilis; seù ad summum in dubio orto ex opinionibus probabilibus, cum quo posse quem quamlibet partem sequi statutum est *d. p. sect. 5.*) & leuia motiua; fit.

Conclusio Secunda.

DVbius dubio Iuris hoc pacto tenetur semper tutiorem sequi, siuè pro ea parte, quod teneatur tali Iure sint rationes probabiles, siuè non.

Expli-

Explicatur Conclusio. Constat aliquo die esse pręceptum Ecclesiasticum ieiunandi, quis dubitat, an teneatur; quia dubitat, an tale præceptum consuetudine sit abrogatum: vel quia dubitat, an vires adeò firmas habeat, vt valeat ieiunare, vel propter quid simile. Motiua autem, quibus dubitat se non teneri leuia sunt; alias si valida, si alicuius roboris, sufficerent ad constituendam opinionem probabilem, & sic non essemus in casu dubij, de quo in præsenti. Ex alia autem parte, quod teneatur, nullas habet firmas rationes; quia E. G. probabiliter non constat de suis viribus, vel de non abrogatione talis præcepti, sed solum per regulam generalem scit se teneri, quia constat de præcepto. In hoc casu dico teneri semper tutiorem sequi. Quòd quidem simul, & nostra Conclusio.

Probatur primo, quia in hoc casu nulla suppetunt motiua valida, & fundata, siuè probabilia, & discreta; quibus moueri potest ad omissionem ieiunij, quæ est pars minus tuta; ergo si omissionem ieiunij eligit, temerè eligit. Quod enim sinè motiuo valido, & probabili fit, temerè fit; ergo peccat; ergo tenetur tutiorem sequi, ne peccet.

Secundo, quia, quod neq; probabiliter est honestũ respectu eligentis prudenter, perinde se habet, ac si esset verè inhonestum. Prudens enim eligens, qua tale, solum quod præconsultatum est honestum, respicit. At non est pręconsultatum honestum, quod neq; probabiliter est honestum: sic enim solum temerè apparet honestum; sanè quod refundit honestatem in actus Prudentiæ, est sola probabilitas honestatis materiæ eligendæ, & quidem ad minus; sed si omissio ieiunij esset verè inhonesta, non posset eligi sine peccato; ergo neq; si non sit ad minus probabiliter honesta. Sed in casu

Conclu-

Conclusionis nulla ratio probabilis apparet honestans omissionem ieiunij, cum pro illa solum supponantur apparere motiua leuia, & parui momenti; ergo &c.

Insto. Nulla ratio, neque probabilis excusat ab impletione pręcepti, quod supponitur esse; ergo nulla ratio reddit licitam prędictam omissionem; ergo eligẽs illam, eligit id, quod nulla ratione est licitum; ergo vult perinde licitum, ac illicitum; ergo peccat.

Dices. Possessio libertatis humanæ in hoc casu honestam reddit dictam omissionem; si nulla sit ratio cõuincens, quod teneamur tali iure ieiunium pręcipiente, & multo magis, si neque sit probabilis ratio.

Contra tamen euidenter. Primo, quia licet nulla sit ratio siuè conuincens absolutè, siuè probabilis, quę particulariter ostendat hic, & nunc nos teneri tali iure, est tamen ratio generalis cõuincens; scilicet, quotiescumq; constat de præcepto Ecclesiastico, & nihil excusat, ad illud tenemur; sed in casu nostro constat de præcepto Ecclesiastico, vt supponitur, & nihil alicuius roboris excusat: quæ enim in contrarium sunt supponuntur esse friuola, & non sufficientia ad prudentem, & probabilem assensum; ergo constat euidenter, quod hic, & nunc tenemur. Neque verò ad hoc, vt teneamur aliquo iure, requiritur, quod sit ratio particularis conuincens, vel probabilis, qua particulariter ostendatur nos teneri, sed sufficit, quod sit ratio generalis, in qua quilibet includitur, nisi appareat causa exceptionis, quæ debet esse valida, & non friuola, alias sine fundamento & temerè quis asseritur exceptus. Addo, quod licet nulla sit ratio positiua particularis, quæ ostendat nulla esse motiua in oppositum, ex hoc ipso, quod friuola illa sunt, euidens est, quod nulla sunt, & non sufficientia deobligare. Vnde pars dicens teneri ad impletionẽ

præcepti ſemper ſaltem ex negatiuo probabilis, immò conuincens eſt.

Contra ſecundo, quia Poſſeſſio in hoc caſu non eſt pro humana libertate moraliter accepta, ſed pro obligatione; conſtat enim de ademptione libertatis, ex hoc ipſo, quod conſtat de pręcepto, quod eſt libertatis ademptio; ergo quia in dubijs melior eſt conditio poſsidentis, in hoc caſu ſtandum eſt, & ſententiandum pro præcepto. Item pręceptum eſt cauſa inductiua obligationis, cauſa autem ſemper clamat pro ſuis effectibus, qui ſemper ſupponuntur ſequi, niſi probetur oppoſitum: quod quidem ſi non probatur, niſi rationibus friuolis, non ſufficientibus mouere ad aſſenſum, perinde eſt, ac ſi non probetur; ſed ita eſt in caſu noſtro; ergo &c.

Dices ſecundo. Licet rationes poſitiuæ pro eo, quod quis non teneatur præcepto, ſint parui momenti, tamen rationes negatiuæ ſunt validæ, in quantum ſcilicet probabiliter ſoluuntur rationes omnes, quæ probant obligationem.

Sed contra eſt, quia hoc neque ſufficit, neque eſt ad rem, ſeù ad caſum præſentis quęſtionis. Primum patet, quia per hoc, quod probabiliter ſoluantur rationes particulares, puta, rationes dicentes, quem eſſe firmis viribus ſufficientibus ad ieiunandum; vel ius huiuſmodi non eſſe abrogatum; adhuc non ſoluitur ratio generalis, quæ omnes complectitur, niſi appareat cauſa benè fundata exceptionis: alias temerè aſſeritur talis exceptio, nimirum conſtat de Iure, & de cauſa inductiua obligationis, & poſſeſsio eſt pro obligatione. Item non debet eſſe melioris conditionis, qui probabiliter ſoluit rationes particulares obligantes, puta aſſerentes illum habere firmas vires &c. quam, qui prędictas rationes in

contra-

contrarium non habet; sanè enim magis vrgent, & ligant rationes probabiles, licet probabiliter solutæ, quã si absolutè non sint. Sed si quis nullas habeat prædictas obligationis rationes particulares, per hoc præcisè, quod constat de Iure, tali Iure tenetur; si nullam habeat causam validam, & benè fundatam exceptionis; ergo multò magis quando in contrarium sunt etiam rationes particulares obligantes.

Concludo. Sententia excipiens ab aliquo iure, de quo constat, non est probabilis, nisi positiuè afferat causam exceptionis: sic enim excipienti ab aliquo iure incumbit onus probandi, cum iam asserat, & fiat actor, vt tollat Ius à sua possessione; ergo quantumcumq; soluat rationes in contrarium particulares ostendentes etiam hic, & nunc nullas esse causas excusantes, non est probabilis; vnde cum illa non licebit agere. Quòd si probabilis esset, iã non essemus amplius in casu præsentis quæstionis, quia scilicet iam non essemus in dubio, sed in opinionibus hinc, & inde probabilibus.

Dices tertio. Facit ad excusandum, quod dubitatur, an lex sit abrogata, vel super ea sit dispensatum, vel quid simile. Contra tamen est; quia ad hoc, quod lex sit abrogata, vel super ea sit dispensatum, datur ne aliqua ratio valida, vel friuola, nullius, seu parui momenti? Si primum: iam non sumus in dubio, sed in opinione probabili; si secundum; ergo temerè dicitur abrogata, vel quod super illa sit dispensatum. Qui autem operatur fundatus in temeraria assertione, peccat.

Dices quarto. Dum dubitatur de subsistentia legis, lex euadit dubia, & incerta, lex autem dubia, & incerta non obligat; quod à fortiori valet contra *primam Conclusionem*. scilicet multo magis lex non obligat, quando de illa non constat, sed solum est probabilis opinio de

illa, cui nescio respondere, tunc enim lex certa non est; ergo tunc non obligat.

Sed contra est, quia lex non euadit dubia, & incerta, per hoc, quod circa illam friuola insurgit dubitatio, & parui momenti, qua non nisi temerè diceretur lex nõ subsistere; perinde enim se habet illa, ac si non esset; alias quæ lex adeò certa est, quæ dubia non euaderet, & incerta? Quod additur contra *primam Conclusionem*, nihil est; quia licet de lege euidenter non constet, neq; probabiliter tamen apparet non esse lex, quæ enim adducuntur negantia legem, friuola sunt, quibus nequit homo moueri; Vnde ipsi lex perinde est, ac si certa esset; patet, quia nisi temerè non potest asserere legem non esse, quia nulla supponitur habere motiua nec positiua, nec negatiua ad negationem legis.

Sit exemplum. Petrus vult contractum aliquem inire, dubitat de iustitia eius; post diligentem discussionem, & inquisitionem, nihil inuenit nisi friuola pro iustitia contractus, tàm ab intrinseco, quàm ab extrinseco; è contra autem pro iniustitia ipsi proponitur ratio validissima, cui nescit respondere nec probabiliter, licet ipsi non euidens appareat. Quis dicat hunc posse in tali casu talem contractum inire? nullus profectò. Sumus autem in casu, quia Petrus dubitat, an sit Ius naturæ prohibens talem contractum, & quod tale Ius adsit, nõ scit nisi ratione probabili, cui nescit respondere. Idem dic in alijs Iuribus, est enim par ratio.

Respondebis esse disparem rationem; quia in Iure positiuo requiritur sufficiens publicatio, & quod certò innotescat tale ius adesse.

Contra tamen est, quia vniuscuiusq; Iuris requiritur sufficiens publicatio, ad hoc, vt obliget. Vnumquodque enim Ius, quod ignorantia inuincibili nescitur, nõ obli-

obligat. Sicut è contra, quod ignorantia crassa ignoratur obligat. Eritnè autem ignorantia inuincibilis illa, qua Ius adesse probabiliter adeò constat, vt nesciamus rationibus probabilibus illud inducentibus, nec nos, nec alij respondere; & pro parte negatiua, ꝙ scilicet Ius non adsit, solùm rationes friuolæ appareant? Præterea do totum, quod vis; requiritur ad hoc vt Ius positiuum obliget, quod innotescat; esto; quomodo debet innotescere? sufficienter, non euidenter; lex enim sufficiēter promulgata obligat, licet non euidenter omnibus, & singulis. Quid est autem legem esse sufficienter promulgatam? vt moraliter de illa constet, & prudenter, iudicio scilicet prudentum. Quis autem dicat moraliter iudicio prudentum non constare de tali lege, quæ probatur rationibus conuincentibus, quibus nulli sciūt respondere, & nullæ sunt rationes validæ in contrariū.

Quoad secundam autem Conclusionem hæc instantia locum non habet, quia dùm supponitur constare de Iure positiuo, supponitur consequenter constare sufficienter de promulgatione.

Dices quinto. Si quis habens beneficium dubitat, an teneatur ad recitandum officium ob tenuitatem redditüum, non tenetur; ergo licet constet de lege, si simus in dubio, an lex obliget, nō tenemur tutiorē sequi.

Benè Vasq. *in primā secundæ d.* 65.*c.*3. dicit esse notabilē errorē id, quod assumitur in antecedente; nā leuiter dubitat quis, an teneatur, & includatur sub lege recitationē officij præcipiente, ac proinde rationibus friuolis, & ob hoc vult se de facto à lege eximere? temerè profecto se eximit, dùm sine ratione sufficienti se eximit; quidni ergo peccabit? Idem dic ad quoscumque alios casus hoc dilemmate. Vel habes rationes sufficientes, & alicuius roboris, vel non; si primum, iam non

ſumus in dubio, de quo in prȩſenti; ſed in caſu opinionis probabilis:in quo caſu excepta materia Sacramentorum, Iudice, & Medico dictum eſt poſſe quamlibet opinionẽ eligi. Si verò ſecũdũ; ergo ſi ſic ages, ſine ſufficienti fundamento ages, & temerè, & per conſequens peccabis.

Dices ſexto. Dum conſtat de lege, ſed dubitatur, an hic caſus hic, & nunc occurrens comprȩhendatur ſub lege, dicendum eſt non includi: ſicut dum conſtat de lege pȩnali imponente excommunicationis pȩnam, vel ſuſpenſionis &c. & dubitatur, an ſit vſu recepta, dicendum eſt non obligare; tùm quia odia ſunt reſtringenda; tùm quia cõmuniter Doctores cenſent caſum reſeruatum in dubio non eſſe reſeruatum; ergo licet conſtet de lege, & ſimus in dubio, an lex obliget, non ſtatim ſequitur nos obligari.

Sed contra eſt; quia quando ſumus in dubio, de quo in præſenti, quando ſcilicet pro parte fauorabili non ſunt rationes, niſi friuolæ, falſum eſt abſolutè antecedens quò ad omnes ſui partes. Ratio eſt euidens, quia temerè aſſeritur, & ſine fundamento, (quia leue fundamentum, & friuolum pro nullo reputatur,) & caſum non eſſe reſeruatum, & legem pȩnalem eſſe abrogatã; ergo ad prudenter agendum perinde eſt, ac ſi dubium non eſſet: ad prudenter ſiquidem agendum perinde ſe habet nulla ratio, & friuola, ſeù temerè aſſerta. Sed ſi non eſſet dubium, caſus ſupponeretur reſeruatus, & lex pȩnalis obligare; ergo, & in dubio id cenſendum, ac proinde ſecundum tutiorem agendum. Sic in terminis de lege pȩnali excommunicationem inducente docet Sanch. *in Decal. lib. 1. c. 10. nu. 35.*

Ad id, quod dicitur, odia ſunt reſtringenda, fateor, ſed non temerè, ſed cũ fundamento ad minus probabili,

li,in quo casu non erimus in dubio,de quo in prçsenti.

Quia autem hçc difficultas de casuum reseruatione, & de sententia excõmunicationis in dubio, grauissima est, operæ pretium erit, ex professo illas exagitare.

SECTIO SECVNDA.

An Casus reseruatus in dubio sit reseruatus, & quid agendum.

MVlti DD. absolutè sinè vlla distinctione asserũt casum esse reseruatum, & in praxi omnino sequendam partem tutiorem :& multi alij absolutè etiã asserunt non censeri reseruatum, vnde liberè posse à quolibet non habente auctoritatem absolui. Legatur Sanch. *in Decal.lib.*1.*c.*10. *n.*73.*&* 74. Mihi omnino videtur distinguendum ; igitur pro resolutione.

Sciendum est,dupliciter posse contingere dubium, an casus sit reseruatus; primo itaut dubitetur de alicuius certi peccati reseruatione, puta, an blasphemia sit reseruata. Secundo itaut, licet constet de alicuius casus reseruatione, dubitetur tamen, an hic, & nunc hic casus particularis in his circumstantijs, sit reseruatus: & hoc modo dubitatur de inclusione casus particularis in casu vniuersali, an scilicet hic, & nunc contineatur sub illo, an verò excipiatur.

Sciendum est, secundo reseruationẽ nihil aliud esse nisi ademptionem, seù ablationem auctoritatis, seù iurisdictionis ab aliquo, in ordine ad absoluendum ab aliquibus peccatis, quam alioquin de se habebat: & quia ablata iurisdictione aliquid faciendi, illud amplius fieri non potest, & si fiat irritum est, & nullum ; ideo reseruatio est quædam lex adimens auctoritatem Confessarijs ab aliquibus casibus absoluendi, & irritans formaliter

ter actus quoscumq; seù absolutionem super his casibus elargitam. Dico formaliter, quia non aliter lex irritat actus, nisi quatenus adimit auctoritatem faciendi; sic lex in tantum irritat contractus pupillorũ, inquantum illis tollit facultatem contrahendi.

Sciendum est tertio, reseruationem posse esse pęnalem, vel non pęnalem; pęnalis est, quando in odium, seù pęnam alicuius peccati reseruatur absolutio ipsius; non est pęnalis quando fit in bonum publicum, & fertur, vt medicina, qua prę̨seruentur homines à peccatis grauioribus. Hanc distinctionem tradunt omnes DD. Legatur Suarez *de legib. lib. 5.* Sanch. *de matrim. lib. 3. d. 17. n. 10. & lib. 9. d. 32. n. 15. & 18.* Card. de Lugo *de Pœnit. d. 20. sect. prima, in fine*. Regulariter autem Casuum reseruatio semper est in bonum publicum, & medicinalis.

Sciendum quarto, ex communi DD. sententia leges irritantes afficere etiam ignorantes, secus ac quascumque alias leges; vnde inuincibiliter ignorans legem aliquam irritantem aliquem actum, licet non peccet, si prædictum actum ponat, quia ignorantia excusat à culpa, tamen actus nullus est. Quod limitant aliqui, quando irritatio non est pęna; quia pęna non contrahitur ab ignorantibus, cum ignorantes non sint culpabiles, ac proinde pęnæ non obligentur; secus autem quando irritatio est in bonum publicum, seù medicinalis, tunc enim omnes consentiunt ligare etiam inuincibiliter ignorantes. Quod deducitur *ex cap. 1. de concess. Præb. in 6. vers. adijciebatur*, vbi decernitur non valuisse actũ factum ab eo, qui non habebat auctoritatem, siuè ignorasset, sibi ademptam fuisse auctoritatem, siuè non. Ita DD. omnes mox citati; Tuschus *t. 2. concl. 117.* vbi multos refert. & Vasq. *in primâ secundæ d. 156. c. 4. n. 29.*

vbi

vbi tamquam certum docet, quod si quis post Concilium Trid. inuincibiliter ignoraret, non posse amplius absoluere Confessarium non approbatum ab Ordinario, sicut antea; quia Concilium ipsi abstulit auctoritatem, quam habebat; & cum ignorantia hac inuincibili licet, Sacerdoti non approbato confiteretur; nulla esset confessio. Idem docet tamquam sine controuersia de reseruatione excommunicationis. Quidquid sit postea, an leges reuocatoriæ priuilegiorum valeant, & annullent actus etiam ignoratæ, de quo disputant DD., qui pro certò postea etiam concludunt leges irritatorias actuum, qui poterant fieri, vel de iure, siuè communi, siuè particulari, siuè ecclesiastico, siuè ciuili; siuè de consuetudine, ipso facto obligare, & etiam inuincibiliter ignoratas actus irritare. His positis sit.

Conclusio Prima.

DVbius de reseruatione alicuius casus, an scilicet sit talis reseruatio, necne, adęquatè, vel saltem ex parte affirmatiua, quia nulla motiua sufficientia ad opinandum sunt ad asserendum casum esse reseruatũ, non debet casum censere reseruatum, sed potest quamlibet partem sequi; si autem pro parte affirmatiua sit ratio adeò efficax, vt licet euidens non sit, nesciat illi respondere; nec sciat vllum magni nominis docere casum non esse reseruatum, debet casum censere reseruatum, & tutiorem sequi.

Prima pars Conclusionis probatur primò, quia si censeret casum esse reseruatum, temerè censeret: quia nullo graui fundamento ad id moueretur, cum tale graue fundamentũ non habeat, ac proinde imprudenter tutiorem sequeretur, quia nulla probabilitas reseruationis apparet, & illa dubia occurrentia scrupuli sunt,

quorum ratio habenda non est, ex cõmuni DD. consensu.
Secundo, quia q̃ est contra naturã rei nõ præsumitur, nisi probetur; & quidẽ grauibus rationibus, alias cũ leues rationes sint nullius momenti, perinde habetur ac non probatum; sed reseruatio est contra naturam rei; ergo non debet præsumi, nisi grauibus rationibus probetur. Minor patet, quia sacerdos de se habet auctoritatem, & iurisdictionem in omnes casus: sequitur enim hæc à potestate ordinis, nisi suspendatur, vnde sacerdos de se, & ex natura sui ordinis possidet auctoritatem, & iurisdictionem in quæcumq; peccata; ergo non sufficit leue aliquod dubium, vt præsumatur talis potestas non adesse: in dubio enim præsertim leui, melior est conditio possidentis.

Tertio. Quia dubium, sine causa conceptum, & sine motiuo rationabili, debet deponi, etiam sinè vlla ratione, & per hoc præcisè, quod non sit ex motiuo rationabili: Bonac. *de leg. d. 1. q. 4. punct. 6. nu.* 30. & ratio est euidens, quia per eas causas, per quas res nascitur, per easdem dissoluitur; ergo dubium de reseruatione sine fundamento graui conceptum, ac proinde temerè, sinè vlla ratione per hoc præcisè, quod nullius momenti sit, deponendum est; ergo perinde agendum, ac si tale dubium non esset, & per consequens casus non censendus reseruatus, & quodlibet, seù quæuis pars eligenda.

Dices. *Si* talis casus re vera esset reseruatus, pœnitens non absolueretur; ergo vt tutò in rebus animæ incedamus, habendus est pro reseruato.

Resp. Verissimum esse antecedens, quia ignorantia reseruationis non excusat, etiamsi sit inuincibilis, quin actus irritetur; nego tamen consequentiam, quia semper prudenter est operandum, & scrupulis, seu

dubijs

dubijs nulli fundamento graui innixis nõ adhęrendum; alias fieremus ridiculi, si sinè vllo graui fundamento vellemus semper tutiora sequi. Sane non est trepidandum, vbi non est timor, hoc est, vbi non est iusta causa timoris, quæ ad minus probabilis esse debet.

Hic ergo locum habet illud Prophetæ, *Ab occultis meis munda me Domine*. Sed quid? vel actus contritionis elicitus à prædictis peccatis, quorum inuincibiliter ignoratur reseruatio, absoluet: vel prima Sacramentalis communio per accidens conferet primam gratiam, & ab illis mundabit: vel prima confessio sequens, absoluet indirectè ab illis etiam, quæ quia putantur sine culpa absoluta, reticentur, & clauibus denuò non subijciuntur, & habentur prò oblitis; præsertim cum hic nullus dolus interueniat.

Secunda verò conclusionis pars probatur, quia per hoc diximus *sect. præced. Concl. prima*, debere pręsumi adesse Ius, ac ità operandum, ac si esset re vera Ius; ergo etiam censenda est adesse ademptio Iuris, quod est idem, ac reseruatio. Gipt. *de Casuum reseruat. c. 1. n. 13.* Sanè enim tunc moraliter loquendo certa est reseruatio; si enim E. G. decem viri prudentes, & omni exceptione maiores dicant reseruationem adesse: & vnus E. G. paruæ auctoritatis, & fidei neget; quis non dicat moraliter certum esse, quod adsit reseruatio. Insuper si quis non sequatur tutiorem partẽ, nonne voluntariè se exponit periculo maximo, & probabilissimo irritandi Sacramentum sine vllo fundamento: quod quidem irritatur, si in re casus sit reseruatus; ergo peccat, temerè enim periculo prædicto se exponit. In casu autem opinionis probabilis vtrimq; quid agendum, dicàm infra.

Conclusio Secunda.

DVbius, an Casus aliquis hic, & nunc sit reseruatus, quia dubitat, an includatur in aliquo casu generali, de quo certa est reseruatio, debet casum censere reseruatum, & tutiorem sequi.

Probatur Conclusio. Quia qui excipit Conclusionem aliquam particularem ab vniuersali, debet afferre causam exceptionis; excipienti enim incumbit onus probandi: præsertim cum generaliter sit axioma, quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; quæ quidem exceptio, si friuola sit, nulla est, & eius nõ est habenda ratio; ergo qui vult excipere casum particularem à generali, sub quo alioquin continetur, debet afferre causam positiuam exceptionis, quæ valida sit; alias nulla est exceptio, & per consequens debet agere perinde, ac si includeretur; sed sumus in casu, cum quis dubitat dubio leui; ergo &c.

Confirmatur. Possessio est pro reseruatione, sicut possessio est pro propositione vniuersali, quod sub se comprehendat quamcumque particularem; ergo in dubijs melior est conditio ipsius. Sanè si paruo cũ fundamento dicitur non includi, temerè dicitur non includi; ergo secundum hanc partem non est agendum, alias temerè agitur, & cum peccato, ergo sequenda alia pars, quæ tutior est.

Dices. Semper est ista ratio, quæ faciet deponere dubium, quod pęnæ sunt restringendæ, & verba reseruationis, quia sumus in odiosis, sunt strictè interpretanda.

Resp. In primis, quod reseruatio non est pęna, saltẽ regulariter, sed est medicina; sed esto, debent quidem pęnæ restringi, & odia strictè interpretari, sed non temerè,

merè: alias infinita absurda sequerentur, si quęcumq; ratio friuola sufficeret ad interpretandam legem pęnalem; igitur cum grano salis, debet fieri hæc restrictio, & cum matura consideratione, ac proindè cum rationibus alicuius roboris, quæ dictent, hic,& nunc debere verba reseruationis in hoc sensu, & non in alio intelligi. Sicut à contrario fauores sunt ampliandi;sed quomodo? cum grano salis, quantum patiuntur verba fauorabilia; vno verbo,prudenter iudicandum est posse verba, siuè fauorabilia, siuè odiosa, hunc sensum præ alio habere; ad prudenter autem iudicandum vtiq; requiritur ratio alicuius roboris.

Quod quidem à fortiori dicendum, quando pro eo, quod talis casus includatur in casu generali, esset efficax ratio, cui nec probabiliter sciremus respondere.

Conclusio Tertia.

IDem dicendum, nempe sequenda tutior pars,& casus censendus reseruatus, si dum constat de reseruatione, dubitetur, an sit valida, quia dubitatur de auctoritate reseruantis &c.

Conclusio patet ex dictis, quia temerè dicitur in reseruante non esse auctoritatem, quando nulla graui ratione id dicitur, sed solum cum dubio leui; ergo prudenter censenda est adesse auctoritas, alias temerè nosmet exponeremus periculo irritandi Sacramentum; quin & possessio stat pro reseruante, si similia consueuit agere:& semper in dubio fauendum sententiæ,semper enim præsumptio stat pro auctoritate Iudicis, quoad vsq;graui ratione non probetur contrarium;alias cui sententiæ esset standum, si omnis leuis dubietas sufficeret, adhoc vt sententiam, seu legem negligeremus.

Sed quid dicendum in casu opinionis probabilis; hinc, & inde, DD. ex vna parte affirmantibus casum esse reseruatum, negantibus alijs? Sit.

Conclusio Quarta.

Stantibus contrarijs opinionibus probabilibus super alicuius Casus reseruatione, siuè censuræ, vndecumq; oriatur dissensio, semper casus censendus est reseruatus, & secundum tutiorem partem agendum est. Vnum excipe casum, de quo infra.

Probatur conclusio, quia sumus in casu, & materia Sacramentorum; Sacramenti scilicet Pęnitentiæ, quod inualidatur, si casus sit reseruatus; ergo licet simus in dubio probabili, sequenda est pars tuta, & certa, nec insistendum opinionibus probabilibus; vt vniuersaliter docui *d.* 3. *sect.* 6. *Concl.* 3. hic enim sumus in casu, quo prudenter possumus opinari Casum esse reseruatum, cum sit opinio probabilis hoc asserens; etsi Casus in re sit reseruatus, non absoluimur ab illo, licet operemur cum opinione probabili, dicente illum non esse reseruatum; vnde Sacramentum voluntariè exponetur periculo, quod probabiliter, & prudēter dubitatur adesse.

Dices. Qui operatur cum opinione probabili asserente Casum esse reseruatum, perinde est ipsi, ac si inuincibiliter ignoraret Casum esse reseruatum, & reseruatio non esset ei sufficienter promulgata.

Resp. Esse verissimum totum hoc, sed quid inde? fortene respectu ignorantis, actus, nempe confessio nō sequetur irrita? hoc est falsum, quia vt supra lex irritans, quando irritatio non est pęna, afficit etiam ignorantes. Quin immò meo iudicio magis essent excusandi inuincibiliter ignorantes, quam probabiliter dubitantes; quia isti prudenter possunt opinari Casum esse reseruatum,

uatum, & saltem de hoc aliquid cum fundamento audiunt, secus primi, qui penitus ignorant.

Auctoritates Sacrorum Canonum omnes, quę possunt afferri ad probandum ignorantes non ligari legibus, intelliguntur à DD. de alijs legibus ab irritantibus, seù etiam de his, quando irritatio est pęna.

Dices. Ecclesia confert iurisdictionem non habenti, quando agitur ex opinione probabili, vel ex errore communi, & titulo colorato; ergo in hoc casu nō erit periculum irritandi Sacramentum.

Resp. Falsam esse consequentiam, quia antecedens non est certum, sed solum probabile; & quidem præter adducta *d. 3. sect. 6. concl.* 3: quid senserit in simili Nauarrus audiamus. Fuit ipsi proposita hæc quęstio. Quidam Prothonotarius Presbiter in quadā Vrbe dixit se habere auctoritatem à Pontifice ordinandi ad quatuor minores: ipsi fides fuit habita, & per quadraginta annos ordinauit. Lapso hoc tempore, Episcopus adueniens dubitauit de hac ordinum collatione, & cogebat Clericos impetrare dispensationem. Quæsitum fuit à Nauarro, quid Iuris in hoc casu, & quid agendū cum istis Clericis. Respondit *lib. 1. consil. de tempor. ordin. cons. 9.* Ordines minores denuò ipsis esse sub conditione conferendos, & vniuersaliter idem dicit faciendum in casu cuiuslibet Sacramenti. Ex quo patet admodum sub opinione esse, an opinio probabilis, vel titulus coloratus, seu error communis iurisdictionem conferat non habenti: & ideo semper sumus in periculo, ne Sacramentum irritum in re euadat; cuius tamen indemnitati tenemur, quantum moraliter possumus, consulere.

Rogabis, Esto sacerdos non possit ministrare, & conficere Sacramentum iuxta probabilem minus tutam,

susci-

ſuſcipiens poteritne illud accipere, quia nemini videtur facere iniuriam? Item cum attritione cognita poteritne accedere?

Reſp. In quibuſcumq; caſibus, quando non eſt certum, ſed ſolum probabile Sacramentum confici, non poſſe nec miniſtrantem, nec ſuſcipientem ſequi probabilẽ, quando certa ſuppetit, vel nõ ſumus in caſu neceſſitatis de quo *loc. cit. d.* 3. etiam enim pęnitens peccat cõtra Religionem, ſi non conſulat ex parte ſua validitati Sacramenti, quantum poteſt; item contra charitatem peccat, quia tenetur ſibi graue damnum non inferre.

Ad id, quod additur de attritione cognita, ſi ſit certum cum illa Sacramentum validè confici, de quo modo non diſputo, vtique poterit accedere: ſecus ſi hoc ſit tantum probabile, quia adhuc poteſt eſſe falſum, ac proinde Sacramentum periculo irritationis exponitur; vnde tenetur facere, quantum poteſt, vt eliciat actum contritionis, vel verum, vel putatum, vel ſaltem ſe ponere in ſtatu tali doloris, vt neſciat, an ſuus actus ſit attritio, vel contritio, quod facile eſt.

Confirmatur totum hoc *ex c. 2. de Baptiſmo*, vbi Pontifex ſtatuit in dubio graui de Baptiſmo, rebaptizãdum eſſe quemlibet ſub conditione: ibi autem eſt ſermo de dubio probabili, hinc, & inde rationibus grauibus concurrentibus; tùm quia ſic ſummatur textus prædictus; tùm quia, quando pro parte affirmatiua, quod ſcilicet quis ſit baptizatus, ſunt rationes nullius roboris, & leues, decernitur abſolutè quem eſſe rebaptizandũ, non ſub conditione. *c. ſi nulla. de conſecr. diſt.* 4. ergo rebaptizandus eſt quis ſub conditione quando probabiliter hinc, & inde dubitatur de valida Sacramenti collatione; ergo idem dicendum in Sacramento pænitentię, nempè ſequendam tutiorem partem.

Caſus

Casus autem, quem volo excipi ab hac conclusione, est iste. An aliquid sit peccatum mortale, sunt contrariæ sententiæ probabiles: Episcopus, qui vel secundum probabilem, vel probabiliorem putat esse peccatum mortale, illud sibi reseruat.

Aliquis probabiliter putat illud esse tantum veniale: iste casus respectu huius censendus ne est reseruatus? nequaquam, quia respectu huius non est peccatũ: nõ enim peccat, qui probabiliter aliquid arbitrans non esse peccatum, illud facit. Cum ergo respectu huius hic casus non sit peccatum mortale, neque est reseruatus: quia corruit reseruatio, quando corruit formalitas peccati mortalis, sicut corruente principali corruit accessorium. Certum enim est regulariter non nisi mortalia, qua talia reseruari, adeo vt, si non sint mortalia, non sint censenda reseruata, cum esset ferè inutilis talis reseruatio; quin & sit controuersia, an venalia possint reseruari. Vide Card. de Lugo *d. 20. de Pœnit. sect. 2.*

SECTIO TERTIA.

Quid agendum in dubio Excommunicationis.

EXcommunicationem esse pęnam, & eam grauissimam certùm est apud omnes: quæ proinde ab inuincibiliter ignorantibus non incurritur, vt omnia iura clamant, & est adeò certùm, vt de hoc nullus sit dubitandi locus; solum enim disputant DD. an ignorantia vincibilis excuset: crassam enim, & supinam non suffragari, & multò minus affectatam, *ex c. Apostolicæ de Clerico excomm.* clarum est.

Ignorantia autem duplex est; alia Iuris, alia Facti: Ignorantia Iuris est, qua quis ignorat aliquod Ius, seù legem adesse, vel obligare, & in casu præsenti est ignorantia,

rantia, quod aliquid ſit prohibitum ſub pœna excommunicationis, ſeù quod aliqua lex obligarionem inducens aliquid faciendi, vel omittendi, ſub pęna excommunicationis, liget, & valida ſit. Ignorantia facti eſt, quando quis aliquid facit, ſed ignorat, quid ſit illud, ꝙ facit, & tamẽ celebrat: E G. quis ignorat ſe eſſe ſuſpensũ, quod exemplũ habetur *in c. Apoſtolicæ de Cler. excomm.* Vel quis interficit hominem, quem putat non eſſe Clericum; vt habetur *in c. Si verò. de ſentent. excomm.*

Tam autem ignorantia Facti, quam Iuris multiplex eſt. Prima Inuincibilis, quæ à Canoniſtis dicitur probabilis. Secunda Vincibilis, quæ & improbabilis, & culpabilis appellatur. Tertia Craſſa, & Supina. Quarta affectata.

Prima eſt, qua quis ita aliquid ignorat, vt non poſſit ignorantiam vincere, & illud ſcire, ſiuè non debeat: nam in moralibus, in quantum ad culpam, perinde eſt non debere ſcire, ac non poſſe ſcire. Talis ignorantia eſt, qua quis aliquid ignorat, cuius nullam vnquam habuit notitiam, vel ſignum aliquod, nec leue: & hęc eſt etiam phyſicè inuincibilis. Ad hanc reducitur naturalis inaduertentia, Inconſideratio, & Obliuio. Itẽ ignorantia Inuincibilis tunc eſt, cum habita ſufficienti nõtitia alicuius rei, quis facit diligentiam moralem, vt certioretur de illa, non ſummam, ſed prudentem, qualis ſolet fieri ab hominibus in ſimilibus negotijs, & in ſpecie, mediocris lectio librorum, volutatio legum; Inquiſitio à ſapientibus, diſiunctiuè ſufficit; tunc enim, ſi res ignoratur, dicitur inuincibiliter ignorari, ſaltem moraliter, quia licet maior phyſicè diligentia fieri poſſit, nõ tamen debet. Ita ſupponit tamquam certum Suarez *t. 5. de Cenſuris d. 4. ſect. 8. n. 19.* Item ignorantia inuincibilis probabilis, & iuſta illa eſt, qua quis petit conſiliũ

à viris

à viris doctrina præditis, qui tamen in re falsum consulunt, & hic dicitur ignorantia inuincibili ignorare veritatem. Nauarr. *in Man. c. 23. nu. 46.* quod idem docet *in conf. lib. 1. conf. 1. de Constit. nu. 2. in fine*, vbi vlterius ad probandum ignorantiam esse inculpabilem, quam quis habet ex ratione probabili, licet altera ratio probabilis, seu sententia sit in contrarium, adducit *c. Capell. de Ferijs*, vbi est sermo de opinionibus probabilibus contrarijs, immò de minus probabili concurrente cum probabiliori. Ita etiam Coninch. *de Censuris d. 13. dub. 11.* vbi ignorantiam ex opinione probabili ortam, dicit inuincibilem. Et propter hoc ignorantia inuincibilis à Canonistis dicitur probabilis, quia licet possit vinci, non tamen debet, eo quod probabili ratione sic iudicatum fuit, vltra quod nullus debet inquirere. Vasq. *in primâ secundæ d. 117. c. primo*, Cordub. *lib. 2. q. 1.*

Et sanè opinantem ex ratione probabili, esto in re opinio falsa sit, inuincibiliter ignorare veritatem, præter quam quod probatur satis manifestè ex adductis, & eo quia nullus hoc negat; vlterius euidenter conuincitur; quia sequens opinionem probabilem, etiamsi illa in re falsa sit, non peccat; ergo ignorat veritatem, & tamen non est culpabilis; ergo ignorat ignorantia inuincibili, & inculpabili. Item sequens opinionem probabilem, non potest absolutè certò inuenire veritatem; ergo nō potest absolutè certiorari de veritate; ergo inuincibiliter veritatem ignorat. Antecedens patet, quia inquiro; quomodo potest? sequendone oppositam? at illa etiā probabilis est, & non certa, & licet probabilior, adhuc potest esse falsa, vnde sequendo illam non certioratur de veritate.

Dices: Magis certiorabitur, si illa opposita probabilior est. Sed esto hoc; simpliciter adhuc ignorabit ve-

ritatem, cùm probabilior possit esse simpliciter falsa; Ly autem, magis, est in eodē genere; Ideo &c. Quid autem sit ignorantia inuincibilis, consulto prolixius explicaui, vt infra.

Ignorantia vincibilis est, qua quis absolutè cum aliqua culpa, aliquid, quod debebat scire ignorat, & ideo dicitur culpabilis, & vincibilis, quia vinci etiam moraliter potuit, & ideo culpa non caret.

Ignorantia crassa, & supina est, qua ex summa negligentia aliquid ignoratur: vnde hæc importat maiorem culpam, quàm ignorantia vincibilis.

Affectata demùm est, qua aliquid ignorare consultò quis vult, vt liberius vitijs indulgeat; & hæc pessima omnium ignorantia est, & est illius, qui *noluit intelligere, vt benè ageret.*

Hæc certa sunt apud omnes, sicut etiam est certum ignorantiam inuincibilem, seù probabilem, quod aliquid sit opus peccaminosum, seù sit tale de sua natura, seù quia prohibitum Iure diuino, vel positiuo, excusare illud committentes ab omni culpa, & ab omni pœna, quæcumq; illa sit, siue in foro Ciuili, siue in foro Canonico; cum hac tamen distinctione, quod in foro fori excusat, si ignorantia probetur, in foro animæ, si adsit. Deus enim, quod est; Iudices autem terreni, quod apparet, respiciunt. Deducitur clarè *ex c. Cognoscentes de Constit. & ex c. Nemo* 11. *q.* 3.

Item perinde ac certum est, scientem aliquid esse malum, seù Iure diuino, seù naturali, nescientem verò esse prohibitum speciali Iure ab Ecclesia, siue sub pœna Excommunicationis, siuè sub qualibet alia Censura, adeo vt inuincibiliter non solum ignoret censuram appositam, sed etiam præceptum, & prohibitionem ecclesiasticam, si illud committat, excusari à censura. De-

ducitur

ducitur ex illo Matth., vbi data est potestas excommunicandi. *Si autem non audierit Ecclesiam, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus.* Vnde adhoc, vt quis incurrat in censuram, præcipuè excommunicationem, requiri contumaciam, & specialem inobedientiam cõtra Ecclesiam certum est apud omnes. Ignorantem autem præceptũ Ecclesiæ non esse contumacem contra Ecclesiã certũ est, si illi non obediat. Item ad hoc facit *c. 2. de Constit. in 6.* vbi dicitur, *Vt animarum periculis obuietur, ligari nolumus ignorantes, quorũcumq; ordinariorum statutis &c.* & super illud *c.* legantur DD. qui communiter hoc asserunt, siuè Canonistæ, siuè Theologi. Videatur Suar. *t. 5. d. 4. sect. 8. nu. 20 & 21.*

Dixi perindè, ac certum, quia licet Couarruuias oppositum censeat, non est audiendus; tùm, quia cõtra communissimam, & receptissimam est sentẽtiam; tùm quia nullum fundamentum suæ assertionis affert, nisi hoc vnum, quod ignorantia pęnæ non excusat à pęna. Sed hoc non est ad rem; quia esto hoc verum sit, hoc non est, quod quęritur; quęritur enim, an ignorantia præcepti Ecclesiastici excuset à pœna Ecclesiastica. Hanc secundam ignorantiam deberet probare Couarr. non excusare, non primam; quia nunc quæritur de secunda non de prima.

Dices. Potest excommunicari absens, & ignorans; ergo non requiritur notitia pręcepti.

Resp. Negando consequentiam, quia absens, & ignorans potest quidem excommunicari, sed pręuia monitione Canonica; Vnde iàm non ignorat pręceptum Ecclesiæ, quin neq; pęnam imponendam, si non resipiscat. Quando autem sufficienter admonitus non vult obedire, tunc licet absens potest excommunicari; & tunc est verum, quod licet ignorans ligetur vinculo ex-

communicationis, licet ab ipso ignoretur, an sit lata: quia sufficienter ei constat de præcepto Ecclesiastico, & de pęna, quę ipsi imminet. Vnde illam incurrit, etiãsi nesciat latam esse, quia ligat excommunicatio sic lata à diẹ promulgationis, non à diẹ notitiæ. Et ita decisum esse communi sententia Canonistarum testatur ipse Couarr. *c. Alma Mater p. p. §. 10. n. 7.*

Et sanè absolutè aliquam monitionem requiri, vt censura locum habeat, patet ex mille locis sacrorum Canonum, vbi non solum monitionem pręmittendam essẹ decernitur; sed etiam modum, quo fieri debet, docemur; & præcipuè excommunicationem, ad hoc vt liget, præsupponere monitionem superioris, absq; vlla controuersia certum essẹ docet Suar. *t. cit. d. 3. sect. 9. &* 10. omnino videndus.

Ex quo infertur; ergo adhoc vt quis excommunicationem, vel similẹm censuram incurrat, debet aliquam notitiam habere pręcepti Ecclesiastici: alias ab Ecclesia non admonetur, esto admoneatur à Deo, vel à natura, si id, quod cognoscit illicitum ex iure diuino, vel naturali perpetrat.

Tertio pariter certum est, eum, qui ex ignorantia inuincibili, seù probabili aliquid agit, quod solum ab Ecclesia prohibitum est, & quidem sub pęna excommunicationis, si ignoret tale præceptum Ecclesiasticũ, nec peccare, nec incurrere excommunicationem, seù quamuis aliam censuram. Ita certum esse affirmat Suarez, & indubitatum apud omnes *t. cit. d. 4. sect. 8. nu. 6.* & deducitur *ex c. excellentissimus* 11. *q.* 3. & ratio est euidens, quia cum tali ignorantia quis non peccat; ergo non afficitur pęna, nec pęna eum ligat, iuxta illud; *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 3. de Const.* Adde, quod excommunicatio non incur-

ritur

ritur nisi supponatur peccatum mortale, ex omnium sentētia, fūdata *in c. Nemo Episcoporū.* 11.*q*.3. quin & ad illam requiritur contumacia, & dolus, & culpa, vt pręcęteris Angelus *in Summa v. Casus excommunicationis* docet, & omnes DD. communiter.

Quarto. Ignorantiam inuincibilem, & probabilem facti excusare ab omni censura, pręsertim, quæ oritur ex delicto, clarum est in Iure, & apud DD. *ex c. Si vero* 2. *de sent. excomm. & c. Apostolicæ. de Cleric. excomm.* & alijs.

Quinto. Etiam certum est eas censuras, quæ non incurrūtur, quādo excusat ignorantia, neq; incurri, necessitate excusante, quæ cogit, vt opera, quibus adnexa est censura, & in specie excommunicatio, faciamus; neq; vero loquor de necessitate phisica, sed morali, qua scilicet non potest quis illa omittere, sine graui incommodo, siuè certo imminenti, seù quod iustè timeatur. Et ratio est, quia sicut ignorantia tollit voluntarium, sic necessitas, & timor cadens in constantem virum; & hoc habetur clarè decisum in *c. Excellentissimus.* 11.*q* 3. adiuncta explicatione glosæ communiter recepta, super illa verba, *per se absoluantur*; quæ faciunt hunc sensū, *absoluti declarentur, quia non incurrerunt*; Excipe, quādo metus esset alicuius incommodi, seù damni infligēdi in contemptum, seù odium censuræ. Et ratio est euidens, quia leges humanæ, & Ecclesiasticæ non obligant cum tam graui incommodo, vnde cum tunc non obligent, illis contumaces contra illas agendo non sumus.

Duplex autē solū remanet cōtrouersia. Prima est, an ignorantia inuincibilis ipsius censuræ, cū scientia operis prohibiti ab Ecclesia excuset à censura: in qua communior, & probabilior sententia affirmat. Legatur Suar. *de cens. d.* 4. *sect.* 9. *n.* 19. quidquid sentiat Couarr. in contrarium.

Altera

Altera est, an ignorantia vincibilis siuè præcepti Ecclesiastici, siuè censuræ, excuset à censura; in qua certum puto non excusare cum Suar. qui *loc. cit. sect. 9. n. 10.* ait, se non audere oppositam appellare probabilē.

Has controuersias ego in præsens non exagito, quia sunt extra sphæram præsentis disputationis, in qua solum sufficit has quęstiones, & earum terminos, & quæ sit probabilis, quæ certa, indicare. His autem præsuppositis, quid in dubio excommunicationis sit agendum, explicemus. Potest autem quis duplici modo esse dubius de excommunicatione; vel an sit lata, vel an lata liget. Et hęc dubia possunt contingere, vel ante factū, vel post factum: scilicet antequam quis aliquid agat, potest dubitare, an opus sit prohibitum ab Ecclesia, & sub pæna excommunicationis. Vel post factum, si postquam aliquod opus fecerit, incipiat quis dubitare, an illud opus sit prohibitum sub pęna excommunicationis. Pro clara harum difficultatum resolutione sit.

Conclusio Prima.

DVbius ante factum de prohibitione Ecclesiæ sub pæna excommunicationis, an sit, debet facere moralem diligentiam, vt certioretur & interim se ab opere abstinere.

Probatur conclusio manifestè, tùm quia sic agens manifeste contra conscientiam agit, & non ex fide; quo enim motiuo potest, non dico scire, sed nec opinari se honestè agere? cum dubitet, an id, quod agit sit prohibitum ab Ecclesia sub pæna excommunicationis, nec fecerit vllam diligentiam ad deponendum dubium. Quod enim in dubijs melior sit conditio possidentis, verum est facta sufficienti diligentia, non antea, vt clarum est; tum quia, si non obstante hoc dubio, quod perseuerat,

rat, quia non deponitur; illud agit, vult illud agere, siuè sit prohibitum sub pęna excommunicationis, siuè non: ac proinde siue sit licitum, siue illicitum, & per fas, & nefas; tum quia licet iste ignorat an sit talis prohibitio sub prædicta pœna, ignorantia tamen ipsius tunc est affectata, crassa, & supina, vel ad minus vincibilis, quia cum habeat sufficientia principia ad dubitandum; & ad inquirendam veritatem, ex negligentia, vel dolo non vult inquirere: nulla autem ex prædictis ignorantijs excusat à culpa, & quidem mortali, cum simus in re graui. Vnde absolutè hic peccat, quia periculo peccandi, ex negligentia, vel ex dolo, vel ad minus imprudenter se exponit. Quod etiam dicendum est in quocumque dubio Iuris, scilicet ante factam sufficientem diligentiam non licere agere, sine peccato.

Conclusio Secunda.

CVM hoc dubio, ante factam sufficientem diligentiam agens, non modo peccat, sed si censura sit lata, illam incurrit; si non sit lata, ridiculum est dicere, quod censuram incurrat, quæ non est.

Prob. conclusio, quia hic nulla potest assignari causa excusans à censura; nam si quæ potest assignari, maximè ignorantia; sed hæc, esto sit vincibilis, iuxta probabiliorem ad minus (ego enim cum Suar. vbi sup. puto esse certam sententiam) non excusat, cum neque excuset à culpa, ergo &c. Quin si hæc ignorantia regulariter excusaret, maximum sequeretur incōueniens, quod scilicet omnes per fraudem, & dolum nollent certiorari, & sic sua fraus cuique suffragaretur; difficile enim esset, quod in hoc casu ignorantia vincibilis non euaderet dolosa; quia scilicet quisque ante factum, de quo dubitat, diceret, hoc faciam, antequam certiorer, quia sic,

esto

esto excommunicatio sit inflicta, me non afficiet.

Dices. Est probabilis opinio, quod ignorantia vincibilis excuset.

Esto, sed quid? nonne potest esse falsa? Immo probabilius nonne est, quod sit falsa: si verò hæc falsa sit, nonne incurritur excommunicatio; ergo saltem ad cautelam petatur absolutio,& si sit agendũ,nõ agamus.

Vnicum Casum excipio, casum scilicet necessitatis; quando E. G. alicui dubitanti, an aliquid sit prohibitũ sub pęna excommunicationis, necesse est agere, nec potest expectare,quod certioretur: vel quia non possit phisicè, vel moraliter,hoc est sine graui damno.

Et ratio exceptionis multiplex est. Primo, quia hic sic agendo neq; peccat, etiamsi opus esset prohibitum sub pęna excommunicationis, quia leges Ecclesiasticæ non obligant impotentes seù phisicè, seù moraliter. Secundo, quia hic tunc est inuincibiliter ignorãs, ignorat enim re vera, cum habeat solum dubium leue, nec potest moraliter certiorari. Tertio, quia ab eo procul abest omnis contumacia, & omnis dolus, quæ tamen necessario requiruntur ad excommunicationem incurrendam;& sane eadem ratio,quæ excusat à culpa, excusat etiam à censura, quæ oritur ex delicto.

Dices. Exceptio bene procedit, quando opus, quod fit,est solùm prohibitum iure positiuo, sed quando est etiam prohibitum Iure diuino. vel naturali; quid? tunc enim nulla necessitas excusat à culpa, nec vlla talis ignorantia.

Resp. Etiam in hoc casu exceptionem currere, quãtum est ad pęnam Ecclesiasticam excommunicationis incurrendam; peccabit quidem iste tunc agens contra Ius diuinum, vel naturale, contra quod nunquam debet, vel agere, vel exponere se periculo agendi: nullum

enim

enim damnum, nullum incommodum imminens ab his Iuribus excusat; sed profectò non peccabit contra Ecclesiam, nec erit inobediens ipsi, quia tunc nempe cum graui incommodo Ecclesia non censetur imperare; ad non obediendum enim Ecclesiæ non sufficit facere, quod in se malum est, & cognoscitur esse tale; sed debet fieri opus, quod cognoscitur esse contra Ecclesiam. Duo enim ibi sunt, & præceptum Dei, & pręceptum Ecclesiæ; Pręceptum Dei obligat, quia nulla est causa excusans ab illo; Pręceptum Ecclesiæ non obligat, quia est causa excusans: ideo tunc peccator, dũ non obedit, contemnit Deum, sed non Ecclesiam, nec contumax est contra illam; & ideò pęnam ab illa inflictã nõ incurrit; sine enim contumacia, & inobedientia contra Ecclesiam non incurritur excommunicatio, seù quęuis censura Ecclesiastica, saltem regulariter.

Si quis autem extra casum necessitatis imprudenter egit, quod dubitabat, an esset prohibitum sub pęna excommunicationis, quid debet peragere? dicam in sequenti Conclusione, cum de eo, quod debet quis agere post factum, si dubitet, sermo erit.

Conclusio Tertia.

FActa autem sufficienti diligentia, & nihil inueniẽs, quod sufficienter de censura admoneat, potest pro libito, quamuis partem eligere sine vllo timore censuræ.

Probatur Conclusio, quia facta sufficienti diligentia ad quam tenetur, & nihil inuento, remanet in possessione libertatis, & dubia illa priora, quæ remanent, debent deponi per hoc præcisè, quod leuia sunt, & parui momenti: nec possunt tollere hominem à suæ libertatis possessione; sanè friuola sunt; vnde perinde est, ac

si non essent. Vrgeo. Per hoc, quod facta sufficienti diligentia nihil inuenerit, si illud agat, excusatur ab omni culpa; ergo & ab omni pęna, pręcipuè excommunicationis, quæ sine peccato mortali non subsistit. Insto. Tunc est inuincibiliter ignorãs pręceptum Ecclesię, & pęnam illius, nec enim quid amplius debet facere, cum fecerit sufficientem diligentiam, ad quam tenebatur. Sed inuincibilis, & iusta ignorantia excusat ab omni culpa, & censura, quæ oritur ex delicto; ergo, & ab excommunicatione, etiamsi alioquin adsit. Vnde certus se non posse excommunicationem incurrere potest libere agere.

Conclusio Quarta.

DVbius autem ante factum, an excommunicatio, quam constat latam esse, & promulgatam, sit valida, vel eò quia dubitetur de auctoritate ferentis, vel de materia apta, vel de appellatione facta ante sententiã excommunicationis, vel ex quibuscumq; alijs capitibus, tenetur prius facere sufficientem diligentiam, antequã opus, cui constat adnexam esse censuram, agat: vt scilicet certioretur de validitate censuræ. Secus agens, & temerè prædictum opus aggrediens peccat, & si in re cẽsura sit valida, ea afficitur.

Conclusio patet ex probatione primæ, & secundæ Conclusionis: eędem enim rationes hic applicatę ęqualiter militant; & præcipuè quia in casu Conclusionis possessio non est pro libertate, sed pro excommunicatione, quæ certò lata est, & in dubio semper pręsumitur pro sententia, vt valida sit. & sanè oppositum agẽs, nonne temerè ageret? nonne temerè sententiam excommunicationis non timeret? quod enim motiuũ haberet ad non timendum sententiam excommunicationis

tionis? non nisi motiuum leue, parui momenti. Ergo ne motiuo friuolo ducti possumus contemnere præcepta Ecclesiastica, & Ecclesiasticas censuras? absit hoc. Quæso enim, quæ lex Ecclesiastica, quin & in vniuersum quæ lex timenda est, si rationibus friuolis possumus ipsi illudere.

Dices. Motiua ista non sunt adeò friuola, quia sufficiunt ad dubitandum.

Fateor; & ideo non sufficiunt ad agendum; & ideo friuola, quia non possunt mouere ad operationem, si quidem nec possunt mouere ad assensum prudentem, & probabilem; & ideo nequeunt infringere possessionem sententiæ, & præsumptionem pro illius validitate; alias si possent mouere ad assensum probabilem, iam nõ essemus in dubio leui, sed in dubio probabili, in quo quid agendum sit, dicam infra.

Conclusio Quinta.

FActa sufficienti diligentia, & nihil inueniens, quo, vel probabiliter possit opinari sententiam latam esse inualidam, tenetur ab operatione abstinere.

Probatur Conclusio, quia tunc remanet excommunicatio in sua possessione, & Iudex in possessione suæ auctoritatis, & sententia in possessione sui valoris, cum nihil adueniat, quod prædictas possessiones infringat. Motiua enim dubitandi friuola sunt, & magis apparẽt talia, quando facta diligẽtia nihil inuenitur cõtra valorẽ sentẽtiæ latæ; ergo perinde sunt, ac si nõ essent: sed si nõ essent teneremur ab opere abstinere; ergo etiã si adsint.

Item quis cum illis agendo temerè ageret, & sine vllo fundamento se exponeret periculo certo incidendi in censuram; ergo &c. Applicentur etiã hic rationes adductæ *pro quarta Conclusione*. Quid autem agendũ,

si facta diligentia aliquid inuenitur, vi cuius probabiliter possimus opinari sententiam esse inualidam, dicemus sectione sequenti.

Disparitas autē intrinseca, quare cum dubitatur, an sententia sit lata, & facta sufficienti diligentia nihil inuenitur, potest quis opus peragere; tenetur autem abstinere, quando dubitatur de valore sententiæ, quàm constat esse latam; desumitur ex possessione, quæ in primo dubio militat pro libertate humana; in secundo verò pro sententia, & in dubio, facta sufficienti diligentia melior est conditio possidentis. Item non adeo requiritur promulgatio valoris sententiæ, quam requiratur promulgatio ipsius sententiæ, cum sententia eo ipso, quod proferatur, præsumatur valida. Post factum vero, si contingat dubitatio, quid agendum? Si quis aliquid fecit, & post factū dubitat, an tali operi adnexa sit censura excommunicationis, vel alia, quid debet agere?

Conclusio Sexta.

SI ante factum nullum dubium habuit, nec vllam considerationem ad hoc, quod opus posset esse prohibitum ab Ecclesia sub censura, non est, quod post factum dubitet, se censuram incurrisse.

Probatur Conclusio manifestè, quia egit cum ignorantia inuincibili præcepti Ecclesiastici, & censuræ; ergo non fuit contumax contra Ecclesiam, nec contra Ecclesiam peccauit; ergo certum est hunc non incurrisse censuram vllam, etiamsi alioquin talis censura adesset, & opus esset prohibitum ab Ecclesia. Ignorantiā enim inuincibilē præcepti Ecclesiastici excusare à peccato contra Ecclesiā, & à censura, certū esse dictum est; vnde etiamsi postea inueniat vere excōmunicationem esse operi adnexam, nō est q timeat, se illam incurrisse.

Conclusio

Conclusio Septima.

IDem dicendum, si ante factum dubitauit, an esset lata excommunicatio, & an adesset præceptum Ecclesiasticum prohibens opus, sed facta sufficienti diligentia non potuit certiorari.

Probatur Conclusio, quia etiam tunc cum inuincibili ignorantia, opus egit: nec enim facta sufficienti diligentia potuit illam vincere, nec debuit; ergo sine culpa saltem, quantùm spectat ad Ecclesiam, egit; vnde à pęna Ecclesiæ immunis erit, etiamsi talis pęna re vera esset inflicta. Quæ autem sit sufficiens diligentia, quàm quis tenetur facere in hoc casu, satis explicatum est supra, cum de ignorantia inuincibili, & probabili actũ est.

Conclusio Octaua.

SI autem dubius, an excommunicatio lata esset, antequam faceret sufficientem diligentiam extra casum necessitatis opus egit; post factum dubitare debet, an sit excommunicatus: quia re vera si excommunicatio lata sit, illam incurrit. Debet ergo facere diligentiã, vt veritatem inueniat, & interim debet abstinere ab omnibus ijs, quæ citra scandalum graue, vel metum alicuius grauis damni, siuè in corpore, siuè in fama, vel grauem necessitatem proximi potest. Hęc autẽ sunt receptio, & administratio Sacramentorum.

Probatur Conclusio, quia qui sic egit, quantũ est ex se, se exposuit periculo excommunicationis incurrendæ, & si excommunicatio re vera lata sit, illam incurrit; ergo tenetur facere diligentiam, vt inueniat veritatem, cum esse possit, quod in illam inciderit. Interim autem non debet se exponere periculo alterius peccati com-

committendi, vel alteriùs censuræ incurrendæ; ergo debet abstinere à receptione, & administratione Sacramentorum, quæ si excommunicatus sit, sine peccato non contingit. Quia si Ordines suscipiat, & excommunicatus sit, suspensionem incurrit, & si celebret, irregularitatem.

Cum graui autem incommodo ad hoc non tenetur, vel si timeatur graue scandalum, vel vrgeat necessitas spiritualis proximi. Quod quidem DD. concedunt in excõmunicato certo, sed occulto; quanto ergo magis in excommunicato non solum occulto, sed dubio. Ecclesia enim non obligat cum graui incommodo; præsertim si excommunicatus sit dubius, in quo casu præponderat damnum certũ excommunicationi incertæ.

Quod vero spectat ad communicationem ciuilem, non est, quod se abstineat; quia cum occultus sit, in dubio non debet euitari.

Quæres. Si pęnitentem absoluat, validenè absoluet?

Resp. Quod sic, quia excommunicato occulto Ecclesia non subtrahit iurisdictionem, cum permittat, vt fideles possint cum illo communicare, tàm in receptione, quàm in administratione Sacramentorum; vt patet *in Extrauag. Ad euitanda;* multò ergo minus subtrahit Iurisdictionem excommunicato occulto dubio.

Conclusio Nona.

FActa autem sufficienti diligentia, & nihil inueniẽs, se gerat tamquàm non excommunicatum, re vera enim excommunicationem non contraxit, etiam si alioquin lata esset.

Probatur Conclusio, quia si facta sufficienti diligentia nihil inuenitur, quod certioret de sententia excommunicationis; ergo licet lata sit, non est sufficienter promul-

promulgata, & facta sufficienti diligentia eius non habeatur notitia; sed excommunicatio non sufficienter promulgata non obligat; ergo &c.

Conclusio Decima.

SI verò ante factum dubium fuit, an excommunicatio esset valida, & antequam quis certioraretur de valore sententiæ, egit, quod habebat adnexam excommunicationem: post factum etiam si nihil inueniat, quod positiuè probet sententiam esse validam; dummodo ipsi non constet esse inualidam, se gerat tãquam excommunicatum, & absolutionem petat.

Conclusio probatur, quia in hoc casu possessio est pro valore sententiæ, & pro ipsa est sententiandum; cum nihil adsit, quod valorem sententiæ infringat; ergo iste sic agens incurrit excommunicationem, quæ absolutè valida debet iudicari; ergo debet se gerere tãquam excommunicatum, & absolutionem petere.

Conclusio Vltima.

SCiens opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed dubius, vel ante factum, vel post factum tantum, an sit prohibitum sub excommunicatione, faciat sufficientẽ diligentiam, vt certioretur, an excommunicationis pęna verè sit imposita: & si non potest certiorari, post sufficientem diligentiam se gerat tamquam non excommunicatum. Si autem inueniat excommunicationem adesse: si dubium contingit post factum, ad cautelam petat absolutionem: si ante factum, simpliciter petat absolui.

Probatur Conclusio quoad primam partem, quia si facta sufficienti diligentia non potest certiorari de censura; ergo signum est, quod censura non est suffi-

cienter

cienter promulgata, esto præceptũ sciatur. Debet enim etiam pęna promulgari populo, cum præsertim excõmunicatio feratur, vt remoueat homines à peccato timore sui. *Clement. Si eos de sententia excõmunicationis.* non autem remouet, si non sit sufficienter promulgata. Sit exemplum à pęnis Ciuilibus. Si Princeps aliquod opus prohibeat sub pęna capitali: verùm in aliqua ipsius vrbe, promulgetur quidem prohibitio Principis, sed non pęna; quæso Ciues illi rei ne erunt prędictæ pęnæ, si opus prohibitum perpetrent? certè non; ergo etiam in pęnis Ecclesiasticis. Quãdo enim facta sufficienti diligentia non inuenitur censura, signum est euidens, eo in loco non esse sufficienter promulgatam. Vnde esto excommunicatio lata esset, tunc non afficeret.

Secũda Conclusionis pars probatur, quia ideò potest quis excusari, quia post factũ cõtigit dubitatio de censura; sed hoc non sufficit, quin ad cautelam debeat absolutionem petere; ergo &c. Probatur minor, quia est opinio probabilis, quod ignorantia inuincibilis solius censuræ non excuset, si sciat opus esse prohibitum ab Ecclesia, & opposita probabilior potest esse falsa; ergo hęc potest esse vera; & per consequens potest esse, quod cẽsura afficiatur; ergo ad cautelam absolutionem petat.

Tertia demum Conclusionis pars patet ex dictis.

Quęrens. Qualia debent dubia esse, quibus ex timore excommunicationis debemus moueri ad suspendẽdum opus, & ad faciendam diligentiam, vt inueniatur veritas rei.

Resp. Non debere esse admodum leuia, quia alias scrupuli essent, & inaniter terrerent; nec grauia, vt sufficiant ad assensum probabilem; qualia ergo debent esse? hoc difficile est explicare. Dico breuiter esse illa, quæ par est, vt moueant virum prudentem, cuius iudicio in con-

contingentia facti standum est, vt ipse iudicet, quæ dubia vana omnino sint, quæ sufficientia ad dubitandum, quæ ad formandum probabilem assensum.

Sed satis de dubio, explicemus iam quid agendum cum opinione probabili.

SECTIO QVARTA.

Quid agendum in dubio probabili excommunicationis.

STatus quæstionis est; An aliquid sit pręceptum sub pęna excommunicationis, vel an excommunicatio sit valida, disputant DD. alijs affirmantibus, alijs negantibus, adeo vt duæ opiniones contrariæ ambę simpliciter probabiles resultent. In hoc casu quid agendum? timendane est excommunicatio? Et si vera sit sententia affirmatiua, in re ligabitne, & afficiet operantes secundum opinionem oppositam probabilem, excommunicatio?

Diana *p. 5. tract. 9. de sent. excomm. resol.* 29. hoc quæsitũ proponit, & respondet referendo Vasq. Turr. & Villalobos asserentes excommunicationem ligare, etiamsi in contrarium sit opinio probabilis; vndè etiã in hoc casu esse timendam, vnde tutiorem partem in praxi in hoc dubio probabili esse amplectendam, & pro opposita sententia nullos citat DD. Quod equidem miror; cur scilicet eruditissimus vir, in libris Doctorũ adeo versatus, quiq; pro qualibet materia in suis resolutionibus semper consueuit pro vtraq; parte DD. qui adsunt afferre, in hoc puncto noluerit DD. qui oppositum censent, & Classici admodum sunt, mentionem faceret.

Contrarium enim docent scilicet in casu opinionis probabilis excommunicationem non esse timendam, nec afficere, Sanch. *in Decal. lib. p. c.* 10. *nu.* 35. Azorius

1. p. instit. mor. lib. 2. *c.* 19. *q.* 12. & Salas apud eosdem, & vniuersaliter in dubio probabili orto ex opinionibus contrarijs probabilibus cuiuscumq; censuræ, Megala *v. dubium. n.* 3. & alij, qui tamen omnes isti, sicut & DD. pro opposita sententia, summariè nimis hoc punctum tractant.

Immo Diana ipse, qui *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 14. admittit tamquam probabilem, & valde tutam in praxi sententiam asserentem; eum, qui dubitat, an lex pænalis excommunicationem imponens, sit vsu recepta, non teneri legem seruare, nec affici pæna excommunicationis, si non obediat, multò magis deberet fateri posse quem cum opinione probabili, quod præceptum superioris non sit validum, (oriatur inualiditas ex quocũq; capite,) nõ parere, & si excommunicationem fulminet, illam non timere; quod sic fortasse euidenter ostendo.

In dubio, an lex, quæ præceptum superioris est, sit vsu recepta, non tenetur quis parere, nec debet timere pęnam excommunicationis in inobedientes fulminatam; certè non nisi quia adhoc, vt lex obliget, non sufficit quod sit lata, sed etiam requiritur, quod sit vsu recepta: acceptatio enim populi est quid requisitum ad valorem legis; ergo in dubio, an pręceptum superioris ex alio capite sit inualidum, quia dubitatur, an superior hic, & nunc possit præcipere, vel quia materia, quã præcipit, non sit suæ iurisdictionis, vel quia illud, quod præcipitur, illicitum sit, non tenebitur quis obedire, ac proinde neq; timere debebit excommunicationẽ præcepto annexam; ergo multò magis id dicendum cum opinione probabili. Hæc secunda consequentia est clara. Primam probo, quia quæso assignetur disparitas, si potest, quarè dubius de valore legis, quia dubitat de acceptatione, quę est vnum ex requisitis ad legis valorẽ,

non

non tenetur obedire. Et dubius de valore legis, quia dubitat de alio requisito ad valorem legis; seù pręcepti teneatur obedire: & quare in primo casu non debeat timere sententiam excommunicationis, & in secundo debeat.

Dices. Quia in secundo casu præceptum, seù lex possidet, in primo non.

Sed contra euidenter, quia si possidere est legem, seù pręceptum esse latum, tam possidet lex in primo casu, quàm in secundo, quia in vtroq; supponitur constare de lege lata. Si verò possidere significat valorem legis possidere, tunc dico, quod sicut in primo casu valor legis nõ dicitur possidere, quia dubitatur de vno ex requisitis ad valorem ipsius: sic in secundo casu dicendum est valorem legis, seù pręcepti non possidere, quia dubitatur de alio requisito ad valorem legis, seù præcepti; magis enim pertinet ad valorem legis materia apta, quam acceptatio.

Sed dixi malè, dum dixi magis; absolutè dico, quod pertinet ad valorem legis, seù pręcepti, quod materia sit apta, & non pertinet ad valorem legis acceptatio; legis inquam Ecclesiasticæ, siuè Pontificię, siuè Ordinariorum; quidquid sit de lege Ciuili. Quod tamẽ quia non est huius loci disputare, breuiter hoc vno dilemmate sic ostendo.

Vel leges Pontificię non obligant, (& idem dic de legibus Ecclesiasticis quibuscumq;) sine acceptatione populi, quia independenter ab acceptatione Papa non habet vim ligandi, & pręcipiendi: vel quia sic Princeps Ecclesiasticus vult. Si primum, temerarium idest, erroneum, & hęreticum. Legatur Suar. *de leg. lib. 4. sect.* 17. quia hoc est ponere Ecclesiam, hoc est cõgregationem fidelium supra Papam, & facere, quod Papa non à

Christo Domino potestatem habuerit ligandi, & soluendi, sed à Congregatione fidelium. Si verò secundũ, hoc omnino incredibile est, non enim est verosimile velle Papam suas leges precarias esse, & tantum velle coarctare subditos ad obediendum, si velint obedire. Prẹsertim in casu prẹsenti hoc dici non potest, quia cõtra inobediẽtes fulminat Papa sententiam excommunicationis; ergo signum est, quod absolutè vult illos parere: alias si expectaret beneplacitum acceptantis, non deberet fulminare pẹnam adeo grauem in inobedientes: & ideo hanc sententiam cum Lorca *in p. 2. tract. de leg. d.* 20. puto euidentem, & contrarium percipi non posse.

Sed quid? Diana ipse *de leg. resol. p. in fine*, concedit leges Ecclesiasticas obligare independenter à populi acceptatione; vnde non video quomodo consequenter potuerit dicere *loc. sup. cit.* Dubium de acceptatione legis excommunicationẽ adnexam habentis non teneri legem seruarẽ; nàm si acceptatio non requiritur ad valorem legis: ergo lex etiam non acceptata est valida; ergo licet quis dubitet de acceptatione, non dubitabit de valore legis, ac proinde lex, seu valor legis possidebit; vnde tenebitur obedire, quod sane omnino verum est.

Vrgeo. Nõ vsus populi ad hoc, vt infringat valorem legis debet transire in consuetudinem, qua postea posita non amplius obligat lex, licet peccauerint ab initio legem non seruantes; sed consuetudo contra legem in dubio non præsumitur; sed probari debet, cum sit quid facti; Item non debet præsumi antiquos peccasse legem non seruando; ergo in hoc dubio pro lege est possessio, & illa seruanda.

Igitur omnia recolligẽdo, si in dubio de acceptatione, quæ valorẽ legis non ingreditur, nec debet prẹsumi,

sed

sed probari, potest per Dianam quis in dubio hoc non seruare legem, & erit immunis ab excommunicatione; ergo ipse id idem debet multò magis concedere in casu, quo probabiliter quis opinetur deesse aliquod constitutiuum legis in suo valore, & à fortiori; tunc enim lex valida non possidet, cum probabile est legem non esse validam.

Pro decisione autem præsentis difficultatis.

Recolēdum est, quod supra fusè probaui *sect. praeced.* eum qui ratione probabili ductus aliquid opinatur licere, inuincibiliter dici errare, & ignorantia inuincibili, seu probabili veritatem ignorare. Vnde opinantem ex motiuo probabili excommunicationem non adesse, vel non esse validam, ignorantia inuincibili dicendum est ignorare excommunicationem, & eius validitatem.

Secundo. Recolendum est ad incurrendam excommunicationem requiri peccatum mortale, seu vt loquitur *Conc. meld. relatum in c. Nemo Episcoporum* 11. *q.* 3. supponi manifestam causam peccati mortalis; item requiri specialem inobedientiam, & contumaciam contra Ecclesiam, prout ex omnibus iuribus & DD. clarum est.

Tertio. Certum est, esse opinionem admodū probabilem, subditum non teneri obedire superiori, de cuius auctoritate, & iurisdictione dubium est, siue vniuersaliter, siue particulariter in aliquo casu, quando scilicet est opinio verè probabilis, quod superior vel absolutè auctoritatem non habeat, vel in hoc casu, & ad hoc particulare hic, & nunc agendum. Item subditū non teneri parere superiori, quando subditus habet pro se opinionem probabilem, quod aliquid possit licitè fieri, vel omitti, etiam reclamante superiore. At quia opinionem probabilem in praxim deducere possumus,

certum sit in hoc casu subditum non obedientem superiori non peccare. Legatur Io:Sanch. *in selectis d.33. à n.28.* & deinceps.

Conclusio Vnica:

SVbditus cum opinione probabili agens, asserente esse licitum opus, quod agit, & non esse prohibitum, vel asserente excommunicationem non esse latam, vel non esse validam, nec peccat, nec excommunicationem incurrit.

Prob. conclusio primo quia deducitur *ex c.p. de Postulatione Prælatorum*, quem textum sic induco: Damnat Pontifex Episcopum Altisiodorensem, qui in sua Diœcesi non seruauerat interdictum fulminatum à Legato Papæ, licet se excusantem, quia non fuisset in sua Ecclesia promulgatum, quia nullam sufficientem excusationem adhibebat, sed omnia erant friuola, quęcumq; adducebantur; quia satis superque illius interdicti ad illum fama certa peruenerat: quin in sua Metropolitana Ecclesia tale interdictũ fuerat promulgatum, & seruatum; ex quo subdit Pontifex; *hinc liquidò constat eum non posse excusari.* Ergo à contrario cum quis potest sufficienter excusari, non est damnandus, nec incurrit pænas violatæ obedientiæ, & censuræ Ecclesiasticæ, quam non tenetur timere, quia illa non afficitur. In tantum enim Episcopus Altisiodorensis dicitur debuisse seruare interdictum, quia nullam excusationem sufficientem poterat afferre, quare non teneretur, & illo non afficeretur. Et quidem de hoc liquidò constabat; vnde tamquam reus violatæ obediẽtiæ. & non seruatæ cẽsuræ, qua afficiebatur, damnatur, & punitur in eo capite; ergo à contrario, qui excusationem habet sufficientem, non afficitur censura, nec illã

tenetur

tenetur seruare, seù se gerere, vt illa affectum.

Modo subsumo. Sed in casu opinionis probabilis, & sufficiens excusatio datur, nec liquidò constat, quem teneri, seu affici censura; ergo in eo casu excusatur à censura, & illa non afficitur.

Secundo. Quia ignorantia inuincibilis præcepti validi, & censuræ adnexę præcepto verè ligantis excusat à præcepto, & censura; sed in casu opinionis probabilis hinc, & inde, est ignorantia inuincibilis, quod pręceptũ liget, & censura sit valida; ergo tunc hæc excusat quẽq; ab obedientia præcepti, & incursione censurę. Maior est euidens, quia est omnium iurium, & DD. axioma; minor probatur. Tũc est ignorantia inuincibilis rei, quãdo res ignoratur, nec quis potest, aut debet certiorari; sed quãdo cõcurrunt opiniones hinc, & inde ꝓbabiles, qui ignorat veritatẽ, ita ignorat, vt fortè absolutè non possit scire veritatem; quia absolutè impossibilis est demonstratio, seu euidens cognitio rei; sane non debet aliud efficere, vt inueniat veritatem, cum in probabili opinione tuto quiescat, nec debeat ad vlteriora ꝓgredi ex ostensis supra *sect. præced.*; ergo tũc est ignorãtia inuincibilis, quæ excusat ab omni pæna, & ab omni culpa.

Tertio. Quia ignorantia non incurritur sine contumacia, & inobedientia, quando Ecclesiæ quis parere debet; sed quando vtrimq; sunt opiniones probabiles, eligens quamcumq; non est contumax contra Ecclesiam, nec inobediens est, cum parere non teneatur; cum nõ sit certum tunc præceptũ obligare, sed hoc sit sub opinione positũ: in quo casu quælibet opinio in praxim deduci potest, nec vllum peccatum incurritur inobedientiæ, & contumaciæ, quę supponit in subdito debitum parendi: quod in subdito non est, quotiescũq; in superiore non est ius certum præcipiendi, quale

non

non eſt, cum eſt probabilis opinio, quod non ſit; ergo cum ſubditus non teneatur obedire, ſi non obediat, nec inobediens, nec contumax eſt, & per conſequens corruit etiam cenſura; tum quia eſt annexa præcepto, tamquam acceſſorium principali, & corruente principali corruit acceſſorium; tùm quia hæc non incurritur ſine ſpeciali contrauentione, & violatione præcepti, cui certo parendum ſit.

Quarto. Quia ex eo, quod ſint opiniones hinc, & inde probabiles, quis alterutram ſequens, excuſatur ab omni culpa, vt concedit cõmuniſſima ſententia Theologorum, pro qua fusè *d. 3. per totam*, & idem docent omnes DD. quos in hoc puncto pro parte oppoſita citat Diana vbi ſupra; ergo in caſu hoc, quis non parendo Superiori non peccat mortaliter, cum ſit opinio probabilis, quod poſſit efficere, quod prohibet Superior; ergo neq; incurrit cenſuram. Patet conſequentia, quia hęc non incurritur ſine certa, & manifeſta culpa mortali, *Conc. Meld. vbi ſuprà*, & omnes DD. vnanimi cõſenſu; & ſanè eſt indubitatum axioma, quod id, quod valet excuſare à culpa, excuſat etiam à pena, cum pęna ſit pro culpa, & grauiſsima pęna, quæ excommunicatio eſt, non niſi pro grauiſsima culpa poſsit imponi.

Et hic aduerte, quod licet nõ ſit ſub opinione, an cẽſura ſit valida, necne, ſed ſolum ſit ſub opinione hinc, & inde verè probabili, quod id, quod prohibet Superior, non ſit illicitum, vel quod à ſubdito ſine peccato fieri poteſt, per hoc pręcisè excuſatur ab omni pęna, ſub qua Superior pręceperit; patet quia per id pręcisè, per quod quis excuſatur à culpa, etiam excuſatur à pena, & quod ſine culpa fit, nulla pęna puniri poteſt; Iuxta illud. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit c. Cognoſcentes de Conſtit.*

Debent

Debent autem opiniones, quibus moti pręceptis Superioris resistimus, esse verè probabiles; ne si tales non sint, exponamus nos periculo peccandi, & censuras incurrendi. Debet ergo fieri diligentia sufficiens in materia tàm graui, & non cuiq; statim credendum; ne leues simus corde, & temerè procedamus, vnde nobis inobediētia imputetur ad culpam; debet ergo fieri matura, & deliberata consideratio, qualis requiritur ad cōstituendam opinionem verè probabilem. Quæ qualis esse debeat, dictum est supra *d. 2. sect. prima.*

Vltimò demum probatur Conclusio, quia ignorantia Iuris, in quo sunt opiniones hinc, & inde excusat etiam Iurisperitum à dolo, & à pęna quacumq; etiam ordinaria, quia opiniones DD. rem faciunt dubiam, & solum tenetur de dolo, quando articulus Iuris est indubitatus. Tusch. *t. 4. l. I. concl.* 10. *n.* 13. qui citat Alex. *cons.* 19. *nu.* 11. *v. Non enim debet. lib.* 7. Ergo quando sunt opiniones hinc, & inde, an Superior iustè præcipiat, an excōmunicatio, seù alia censura imposita sit valida, si quis contra faciat, etiāsi vir doctus sit, non tenetur de dolo, nec de vlla pęna, nec ordinaria; ergo nec peccat, nec pęnam censuræ incurrit, cum pręsertim excommunicatio sine dolo non incurratur. Angelus *in Summa v. Casus excommunicationis.*

Confirmatur ex Nauarr. *in Man. c.* 23. *n.* 38. si quis credat probabiliter Superiorē per errorē iussisse, aut nō iussurū fuisse si veritatē nouisset, nō peccat nō obediēdo; sed qui habet opinionem probabilem, quod Superior non possit pręcipere id, quod præcipit, credit probabiliter Superiorem per errorem pręcipere, & non iussurum si veritatem nosset: si enim nosset se nō posse pręcipere, certè non pręciperet; ergo in hoc casu non peccat non obediendo; ergo neq; incurrit censuram,

cum hæc sine peccato non subsistat; tàm enim per errorem credit probabiliter latum esse præceptum, quàm censuram: vnde nec illi parere tenetur, nec illa afficitur.

Et idem dicatur etiamsi ex parte Superioris esset opinio probabilior: quia etiam minus probabilis in praxim deducitur sine peccato, & tunc adhuc saluatur ignorantia inuincibilis, & corruit contumacia, inobedientia, & quæcumq; culpa.

Dices. Si opinio superioris sit vera, censura est valida, quia potuit superior præcipere; ergo tunc ligabit; ergo simpliciter timenda est: vnde saltem ad cautelam petenda absolutio est, & superiori obediendum.

Resp. negando consequentiam, quia adhoc vt excommunicatio liget, non sufficit, quod habeat ex parte agentis, seu ferentis sufficiens principium sui valoris, sed etiam debet cadere supra subiectum aptum: talis autem non est subditus in isto casu, quia esto opinio superioris sit vera, & superior verè in re possit præcipere; hoc tamen quia non constat, & est sub opinione positum, & opinio verè probabilis dicit superiorem in hoc casu præcipere non posse: ideo subditus non obediendo non peccat, sufficiēter enim excusatur ab obediendo; subditus autem non obnoxius peccato mortali non potest ligari censura graui, seu excommunicatione maiori, vnde quantum est de se excommunicatio illa est ligatiua, per accidens autē non ligabit; ac proinde subditus absolutè nec peccabit, nec incurret excommunicationem.

Et hinc patet disparitas, quare in dubio etiam probabili reseruationis tutior pars sit eligenda, secus in dubio probabili excommunicationis; quia adhoc vt casus sit reseruatus non pendet ex vlla qualitate pænitentis, nec igno-

ignorantia inuincibilis à reſeruatione excuſat, cum lex irritans liget etiam ignorantes; at vero excommunicatio pendet à culpa mortali, quam neceſſario ſupponit in ligando, & à negatione ignorantię inuincibilis in ipſo; ideo &c.

Quęcumq; autem in hac, & in præced. ſect. de excommunicatione dicta ſunt, vniuerſaliter dicantur de quacumq; cenſura, quæ ex delicto oritur.

SECTIO QVINTA.

Quid agendum in dubio Voti.

VOtum eſt lex quædam particularis, quam quis ſibi imponit aliquid faciendi, vel omittendi, qua ligatur; & quidem ſi votum ſit de re graui, ſub culpa graui: iuxta illud *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* & illud, *melius eſt non vouere, quã promiſſa non reddere.*

In dubio ergo voti idem omnino agendum, ac in dubio iuris; nimirum ſi dubitetur, an votũ ſit factum, necne, facta ſufficienti diligentia, ſi nihil inueniatur, quod de voto certificet, voto quis non tenetur, ſed poſſeſſio eſt pro libertate.

Si vero ſit dubium, an votum factum obliget: tunc ſi facta diligentia nihil inueniatur, quod vel probabiliter ſuadeat votum non obligare, votum quis ſeruare tenetur, alias temere non ſeruaret, cum poſſeſſio tunc ſit pro voto; idem dictum volo de iuramento. Et hæc omnia probantur rationibus ſupra adductis *ſect. p. de dubio iuris*, proportionaliter applicatis. In dubio autem probabili voti, vel iuramenti poteſt quis quam voluerit partem ſequi. Sequitur & hoc ex dictis.

Quando autem dubium contingit, ad quæ extendat ſe votum, vel iuramentum, plura ſcilicet vel pauciora,

in dubio probabili potest quis quamlibet partem in praxim deducere: in dubio autem leui distinguendum est; si dubium oritur pręcisè ex intentione vouentis, vel iurantis, etiam pars minus tuta in praxim deduci potest, quia tunc possessio est pro libertate; vnde semper agere poterit perinde, ac si restrictissimam intentionem habuisset. Si autem dubium oriatur ex significatione verborum, quibus votum, vel iuramentum conceptũ est, standum est in eo sensu naturali, in quo communiter apud homines verba significant. Vnde si verba significant de se plura, non potest quis dubio leui motus obseruare pauciora. Et si è contra verba de se significent pauciora, non tenetur quis dubio leui ad plura. Si autem verba sumantur in pluribus sensibus, & soleāt apud homines significare plura, vel pauciora: tunc si aliunde ex circumstantijs non constet de intentione, quilibet sensus importatus per verba, in praxi obseruari potest, quia possessio tunc est pro libertate, quæ sufficienter non apparet ablata ad eligendum vnum, vel alterum sensum.

Quod si dubium sit de verbis prolatis, & de intentione simul, an scilicet verè intenderit quis se obligare secũdum id, quod verba significant; tunc absolutè agendũ, prout verba sonant, quia præsumitur fuisse talis intentio adimplendi id, quod verba sonant, ex eo, quod talia verba fuerint vsurpata, cum quisq; præsumatur loqui sensatè pręsertim corã Deo, & intendere id, quod dicit.

Hinc patet resolutio ad illas difficultates, quæ fieri solent. Prima est. Quis vouit ingredi Religionem; vt adimpleat votum, teneturne ad Religionem strictiorẽ? quam dubitat dubio leui, an intenderit. Respondetur enim, quod non, sed quamcunq; ingreditur, votum implet, quia verba non sonant hanc potius, quam aliam,

aliam, & inde remanet in sua libertate quamuis eligendi. Idem dicatur ad similia dubia in hac materia. An scilicet teneatur profiteri &c. negatiuè scilicet, quia verba hoc non exprimunt, & de intentione non constat. Nauar. *lib. 3. cons. tit. de voto cons.* 19. *nu.* 1. & alij multi apud Sanchez *in decal. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 89.

Tertia difficultas est, quis vouet, vel iurat se nolle amplius vlli fęminæ commisceri: excluditurne per hoc votum, matrimonium. Si de intentione vouentis, quæ facilè ex circumstantijs desumi potest, non constat, sed remanet tantùm dubium leue, absolutè censeo, quod non possit nubere, quia per matrimonium verè commiscetur alicui fęminæ. Vnde contra votum facit. Sane verba hanc commixtionē negant, qui enim negat omnem commixtionem, seu cum quacumq; fæmina commixtionem, negat commixtionem siue legitimā, & sinè peccato, siuè cum peccato: siuè cum fęmina sibi vinculo matrimonij iuncta, siuè non. Qui enim vlli fæminæ non vult commisceri, omnem negat, & quis præsumitur se obligare velle, quantum sonāt verba, si aliunde de intentione nō constat. Et licet cōmixtio cū fęmina, quę vxor sit, sine peccato fiat, tamen potest hæc negatio commixtionis cadere sub voto & iuramēto, cum sit de meliori bono, & de actu specialis virtutis; non enim solum obligat votum, seu iuramentum de non peccando, sed etiam de quocumq; actu virtutis, & de meliori bono, quam sit id, quod relinquitur. Excipe, nisi ex circumstantijs posset deduci probabiliter intentionem vouentis solum fuisse se abstinere à commixtione illicita.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Quid agendum in dubio facti.

DVbium facti est,quando dubitamus,an aliquid in re ita se habeat, vel alio modo;an sit factum,vel non; nobis cooperantibus, vel non; de quo teneamur certiorari,eo quod ex ipso resultet aliqua cēsura,vel aliqua obligatio aliquid faciendi, vel omittendi. Videntur autem DD. aliqui absolutè docere in dubio facti semper tutiorem partem esse sequendam,illam scilicet, in qua non potest contingere peccatum, vel in qua solum est periculum minoris mali, cum in alia sit periculum maioris; iuxta illud *Ex duobus malis minus est eligendum*. Et hæc decisio videtur deduci *ex c.iuuenis de sponsal. ex c. ad audientiam*, *&c. Significasti 2. de Homicid. volunt. &c. Inquisitioni de sent. excōmunicationis.*

Verùm meo iudicio neque in dubio facti potest absolutè vlla ferri decisio, sed cum distinctione procedendum est secundum multiplicia dubia, quæ circa factum occurrere possunt.

Nam in primis potest dubium contingere circa ipsū factum,eo quia non constet,an in re sit positum nec ne; circa quod factum quis sciat se habuisse aliquem influxum, & aliquam cooperationem,vt poneretur,de quo tamen postea dubitat,an sit positum. Secundo potest quis dubitare, an in factum,de quo constat, quis simpliciter influxerit, vel facto sit cooperatus. Tertio potest quis dubitare,an factum,de quo constat,sit secutum ex eo influxu, vel cooperatione, quam, vt factum poneretur,adhibuit. Demum potest aliquis dubitare, an aliquid in re sic, vel aliter se habeat, in quod licet nullam cooperationem habuerit,teneatur tamen diuersimodè

se gerere

se gerere ex eius existentia, quam ex negatione ipsius. Hi autem casus sunt omnino distinguendi, quia non in omnibus æqualiter decidendum est. Hęc autem dubia mens non est ita in genere expendere, & explicare, sed applicata in particulari, & casibus particularibus illa resoluere; ex his enim postea colligetur facilè, quid circa hæc dubia in genere dicendum sit.

Inter dubia autem facti primum dubium est de homicidio, ex quo contrahitur Irregularitas. Non loquor autem de dubio iuris, quod possit contingere circa irregularitatem, eo quod scilicet quis dubitet, an in aliquo casu sit à iure statuta irregularitas, nàm tunc fieri debet sufficiens diligentia, vt veritas inueniatur; facta autem sufficienti diligentia, si quis in dubio remaneat, nec possit certiorari, tunc certum est, quod irregularitatem non incurrit: præsertim si irregularitas sit pęna, quæ ex aliquo delicto oriatur. Si quis inquam in dubio maneat siuè leui, siuè probabili orto ex contrarijs DD. sententijs probabilibus, alijs affirmantibus irregularitatem adesse, alijs negantibus.

Dixi quod certum est, quod tùnc non incurritur irregularitas, tùm quia hoc deducitur *ex c. Is qui. de sent. excom. in 6.* vbi deciditur nullum contrahete irregularitatem, nisi in casibus à iure expressis; non autem est casus expressus in iure, quod est idem ac dicere manifestus, de quo DD., & Iurisperiti disputant; vel de quo facta sufficienti diligentia, quæ importat consulere peritos, euoluere leges, & decreta, quis nequit certiorari; sed tunc casus est dubius, & non expressus. Tùm quia, qui ignorat inuincibiliter statutum præcipiens sub aliqua pæna, non ligatur statuto, nec incurrit pænam, iuxta illud, *statutis quorumcumq; Ordinariorum ligari nolumus ignorantes c. 2. de constit. in 6.* quod decretum intelli-

intelligitur communiter de quocumq; iure; sed dubitans modo prædicto, nec potens certiorari, inuincibiliter ignorat statutum, & pœnam; vt ostensum est *sect.* 3. ergo neque ligatur statuto, neque incurrit irregularitatem, quæ pœna est.

Dico irregularitatem, quæ pœna est; quia irregularitas, quę non est pœna, incurritur etiam ab ignorante inuincibiliter. Et ratio est, quia, ideo irregularitas, quę est pęna, non incurritur ab inuincibiliter ignorante statutum, quia iste, cum non peccet transgrediendo legē, quam ignorat, non debet affici pęna: iuxta illud, *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. cognoscentes. de constit.* Illa autem, quę non est pęna, incurritur etiam sinè culpa, & ideò ignorantia ab illa non excusat. Incurritur enim propter specialem indecentiam, quam secum affert naturaliter aliqua actio, siuè fiat cum culpa, siuè sine culpa. Hęc certa sunt apud omnes.

Quod autem spectat ad dubium facti, quod in pręsenti homicidium est. Aduerte diligenter Pontificem clarè decidere *in c. ad audientiam, & c. significasti 2. de homicidio,* in dubio homicidij quemq; censendum esse irregularem. Dico censendum, quia non dicitur ibi verè esse irregularem, cum quod verè sit irregularis, pendeat ex eo, quod verè sit interfector; vnde cum in dubio sit, an interfecerit, per consequens in dubio remanet, an in re irregularis sit. Neque enim putandum est, quod Pontifex decernat in dubio homicidij quem esse irregularem, quasi ipsi homicidio dubio imponatur irregularitas: vnde quis incurrat verè irregularitatem, siuè interfecerit, siuè non, per hoc pręcisè, quod de ipso dubitatur, an interfecerit: oppositum enim clarè colligitur ex illis textibus, vbi dicitur. *In dubijs, tutior*

pars

pars est sequenda. In dubijs scilicet, an quis contraxerit irregularitatem; ergo sub dubio etiam manet irregularitas. Et prȩcipuè hoc clarè patet *ex c. Significasti* 2. vbi Pontifex clarius assignat rationem, quare in dubio homicidij, quis se gerere debeat irregularem, *quia tutius est cessare, quàm temerè celebrare*; ergo adhuc sub dubio est, an sit contracta irregularitas: alias non tutius, sed certum omnino esset, cessandum esse à celebratione. Solum ergo Pontifex relinquens veritatem in suo loco prȩcipit, vt se gerat tamquam irregularem, ne si re vera interfecit, ac proinde irregularitatem contraxit, malè celebret. Tutius ergo agat, se huic periculo non exponat, & ad cautelam dispensationem petat.

Iam autem videamus, in quo dubio homicidij, quis debeat se gerere, vt irregularem.

Conclusio Prima.

CErtus se habuisse cooperationem aliquam in homicidium, puta consilium, vel quid simile, quod dubitat, an sit secutum, & de quo etiam facta diligentia sufficienti, nequit certiorari, non debet se gerere tamquàm irregularem, aut dispensationem petere. Sanch. *lib. 2. in Decal. c.* 10. *nu.* 44.

Suppono autem tamquam certum, quomodolibet cooperantem positiuè ad homicidium, saltem quoad substantiam, irregularem esse, quæ irregularitas est statuta *in c. de Cætero*; iuncta *Gl. ibidem, & c. Significasti* 2. *de homicidio*: vbi expressè consulentes, inuitantes, sollicitantes, & quauis ope adiuuantes ad homicidium, irregularitatis damnantur.

Dixi quoad substantiam saltem, quia probabile est, quod cooperantes ad homicidium alioquin certò secuturum, cooperantes inquam solum, vt citius, & vt ala-

crius fiat, non sint irregulares, ex allatis à Diana *p.* 8. *resol.* 92.

Probatur Conclusio, quia factum in dubio nunquã præsumitur, sed probatur: tunc præsertim, quando de nulla causa constat, de qua dubitari possit, an sit adæquata, & ex qua, ex eo quod fuerit, possit sequi effectus; tunc enim non est possessio pro causa, quæ ex eo, quod sit, videatur clamare pro suis effectibus, quia de nulla causa constat, quæ adęquatè possit effectum inducere, & effectus ipse, an sit secutus, sub dubio est; ergo tunc effectus non præsumitur, sed potius præsumitur negatio effectus, quę est in sua possessione certa, à qua non debet tolli, nisi per certam possessionem effectus, non vero per dubiam, quæ non æquiualet ipsius certę possessioni; certè non præsumitur ablata negatio effectus, nisi possit pręsumi positus effectus; sed cum non constat ad minus de causa adęquata effectus, potente effectum producere, non potest præsumi effectus; ergo quando tantum constat de positione causæ inadęquatæ, de se non potentis effectum producere, non potest præsumi ablata negatio effectus; sed sic res se habet in casu nostro; ergo &c.

Probatur assumptum, quia licet certa sit cooperatio, vel consilium in mortem alicuius, de hac tamen cooperatione, vel consilio, nec leuiter dubitari potest, quod sit adęquata causa mortis: cum hæc à voluntate, & executione operantis pendeat, non à consilio solùm suadentis; ergo quantum est ex vi consilij, seù cuiusuis alius similis cooperationis non potest præsumi factum, seù secuta mors, de qua dubitatur, nec possumus certiorari. Vix enim, vel ne vix quidẽ ex positione certa causæ adæquatæ, vel de qua vehementer dubitetur, an sit adæquata, potest præsumi

effectus

effectus secutus, presertim iste, qui accidentalis est, & tot circumstantijs occurrentibus euitari potest; ergo si non potest presumi mors secuta in hoc casu, neque potest presumi quis irregularis: presumptio enim irregularitatis non potest oriri, nisi ex presumpta morte; ergo neque in hoc casu debet quis se gerere, vt irregularem, si neq; potest presumi talis. Quis enim dicat debere quem, se gerere vt reum, qui neq; potest presumi reus.

Confirmatur. Quotiescumq; aliquid est in certa possessione, & nec probabiliter constat, quod ex possessione deciderit, debet presumi in sua possessione perseuerare, licet insurgat dubium super eius possessione; sed in casu nostro negatio mortis est in sua possessione certa, nec est aliquid, quod vel probabiliter ostēdat hanc ex sua possessione decidisse; & causa, propter quam dubitatur, de se non est sufficiens ad eam deturbandam de sua possessione; ergo debet presumi negatio mortis in sua possessione perseuerare, ac proinde homicidium non fuisse secutum; ergo neq; debet presumi irregularitas.

Dices. Debet presumi secuta mors, quia in dubijs tutior pars est eligenda, presertim in dubio irregularitatis ex homicidio. *arg. c. Ad audientiam, & c. Significasti 2. de homicidio*.

Contra tamen est, quia dubium facti, de quo in textibus allatis, est toto Celo diuersum ab eo, de quo agimus; nam ibi constabat de facto, nempè de morte secuta: item constabat de tali cooperatione, seù influxu in mortem, qui dubitabatur, an fuisset causa adequata mortis. Vnde tunc benè poterat presumi secuta mors ex tali cooperatione, seù influxu: secus autem in casu nostro; ideo &c.

Vrgebis. Etiam in casu nostro potest esse, quod sit secuta mors, & quidem ex consilio, seù cooperatione adhibita; ergo potest contingere absolutè, quod sit irregularis; ergo cum in dubijs tutior sit pars eligenda, debet se gerere, vt irregularem, ne se exponat periculo peccandi, & indebitè celebrandi, vel Ordines suscipiendi.

Sed contra est, quia si volumus ad omnia possibilia etiam remota aduertere, & semper tutiori modo operari, ridiculi euademus: nec Deus, nec Ecclesia hoc à nobis exigit, alias quot scrupulis angeremur, seù melius, quæ nobis relinqueretur agendi libertas.

Dico igitur, quod verè in hoc casu esse potest, quod quis sit irregularis, hoc tamen possibile nimis remotū est, quia de causa adęquata non constat, sed nec de causa, de qua, vel leuiter dubitari posit, quod sit adęquata. Item de effectu non constat, nec probabiliter, vnde quod mors secuta sit, nimis remotè possibile est. Facta ergo sufficienti diligentia, & nihil inuento, per quod, vel probabiliter de morte constet; huius possibilis nulla ratio habenda est. Et ad hoc probandum applico à sensu contrario textum *in c. Significasti citato*, vbi Pontifex reddit hanc rationem, quare ille, de quo agebatur, deberet se gerere tamquam irregularem; quia, ait, *tutius est cessare, quam temere celebrare.* Rogo modo; In hoc casu, & in hoc possibili adeò remoto temerè ne quis celebraret? sanè non: probabilissimam enim habet rationem, vi cuius se non debeat gerere, vt irregularē, vt ostensum est; ergo non temerè agit, si se non pręsumat irregularem, & si celebret; ergo in hoc casu nō debet cessare, & sequi partem tutiorem.

Addo, quod nulli periculo se exponit, qui cum hoc dubio non se gerit, vt irregularem, esto Sacerdos sit,

& in

& in sacris Ordinibus ministret. Nam irregulari licet certo, in sacris Ordinibus ministranti, vel Ordines suscipienti, nulla pęna est in Iure stauta, vnde nullam incurrit. Bonac. *de Cens. d. 7. q. p. punct. 4. prop. p. num. 4.* qui multos citat. Peccat quidem mortaliter irregularis certus, si celebret, vel ordines suscipiat, quin etiam primam tonsuram; sed in hoc dubio quis à peccato omnino immunis est, cum prudenter operetur, nec debeat se pręsumere irregularem.

Quod vero spectat ad vsum Iurisdictionis in foro Pœnitentiæ, peccat quidem irregularis, si absoluat, valida tamen est absolutio, si denuntiatus talis non sit; sed hoc est verum, quando certò est irregularis; vel ad summum, quando debet se præsumere talem. Idem Bonac. *ibidem prop. 3. nu. 19.* sed dubius, de quo in pręsenti non peccat, vt supra; & à fortiori validè absoluit. Ideo nulla est ratio, qua obligetur ad se gerendum, vt irregularem.

Confirmo hæc omnia. Reliquæ pœnæ irregularibus statutæ, quæ forum externum respiciunt, infligerentur ne alicui in hoc dubio? certè non. Ergo neq; debet affici pęnis, quæ forum animæ respiciunt, quod forum est misericordia plenius, & pietate.

Quæres. Si quis in hoc casu, antequam faceret sufficientem diligentiam temerè ordines susciperęt, si postea facta sufficienti diligentia, non possit de secuto homicidio certiorari, debetne ab ordinum ministerio abstinere.

Resp. Quod iste peccauit quidem, eo quod temerè ordines suscepit, sed in nullam pęnam Ecclesiasticam incidit, quia nulla est in Iure statuta huic peccato, & huic temeritati; vnde si facta sufficienti diligentia nihil inueniat, est in possessione suæ libertatis; & sicut si fe-

cisset

cisset prius diligentiam, potuisset ordines suscipere, sic ordinibus susceptis, potest in illis liberè ministrare. Bonac. *ibid. punct. v. prop. 2. nu. 5.* & idem dic in quibuscumq; casibus similibus, siuè Iuris, siuè facti.

Conclusio Secunda.

CErtus se posuisse causam adęquatam homicidij, & dubius de effectu secuto, tenetur se vt irregularem gerere, si causa moraliter à communiter accidentibus semper sit connexa cum tali effectu: secus, si moraliter loquendo contingens est, quod cum effectu sit connexa.

Conclusio ad minus quo ad primam partem communis est omnium DD. teste Diana. *p. 8. tract. 7. resol. 6.* qui tamen affert Io: Escobar vniuersaliter aientem, quē non esse censendum irregularem, quando est dubium facti, an scilicet homicidium sit secutum; cuius sententiam probabilē appellat alius Escobar Soc. Iesu, ex Diana ibidem; qui tamen ab opposita sententia auctoritate communi, & praxi Pœnitentiariæ firmata non audet recedere.

Probatur autem, quia causa, quæ moraliter loquendo semper est connexa cum tali effectu, quotiescumq; ponatur, semper pręsumitur causare dictū effectū; alias, si sēper quādo est, nō pręsumitur causare dictū effectū: ergo moraliter non est semper connexa cū tali effectu. Sic argumentum à communiter accidentibus vim habet; quia quod à communiter accidentibus accidit semper pręsumitur accidere in quocumq; casu particulari, de quo dubitetur; ergo causa, quæ à communiter accidentibus semper moraliter est connexa cum homicidio, quotiescumque ipsa ponitur in re, præsumitur ex ipsa sequi homicidium; ergo quotiescumque quis

posuit causam adæquatam homicidij, ex qua, licet absolutè phisicè loquendo possit non sequi homicidium moraliter loquendo tamen semper sequitur, præsumitur omnino commisisse homicidium, nec potest præsumi oppositum, ergo præsumitur irregularis. Sicut enim sese consequuntur hæc duo, commisisse homicidium, & esse irregularem; sic hæc duo, præsumi commisisse homicidium, & præsumi irregularem. Sed qui ità moraliter præsumitur irregularis, vt non possit non præsumi talis, debet se gerere vt irregularem, alias temerè non se gereret vt talem; ergo qui ponit causam adæquatam, moraliter, & a communiter accidentibus semper connexam cum homicidio, tenetur se gerere vt irregularem. Et hic valet illud axioma; *Tutius est cessare, quàm temerè celebrare.*

Confirmatur. Si aliqua causa sit semper phisicè cõnexa cum suo effectu, semper quotiescumq; ponitur, est etiam talis effectus; ergo si causa semper sit moraliter connexa cum aliquo effectu, semper ac erit talis causa sufficienter applicata, erit etiam moraliter talis effectus. Quid est autem moraliter esse semper talem effectum? Est iudicio prudentum semper esse, semper præsumi, quod sit. Hinc applica ad homicidium.

Vrgeo. Causa moraliter semper est connexa cum homicidio; ergo quando est, semper moraliter est in possessione sui effectus, seu homicidij; ergo in dubijs, an talis effectus sit, & consequatur suam causam, pro causa est iudicandum, & pro possessione ipsius, iuxta illud, quod in qualibet materia valet, In dubijs melior est conditio possidentis; ergo si semper præsumitur secutũ homicidiũ, in hoc casu quis se gerat vt irregularẽ: quia in tantum posset se non gerere vt irregularem, in quantum posset præsumi non secutum homicidum.

Sed

Sed dices, ex Escobar relato à Diana vbi supra: Numquam ob factum dubium quis à iure punitur pœna certa; ergo licet causa sit semper moraliter connexa cum suo effectu, quia adhuc effectus seu homicidium dubium est, non debet affici pœna certa irregularitatis, nec debet se gerere vt irregularem: quia si se gerat vt irregularem, perinde est ipsi, ac si verè irregularitatis pœna puniretur.

Cõfirmatur ex eodem. Dubio facti manente potest quis vti ea possessione, in qua erat ante factum dubium: ex hac enim possessione non tollitur per causam certã facti, sed per factum certum; ergo si factum non constat, non potest tollere certam possessionem, quæ erat ante factum.

Resp. primo, quod ego non dico, quod hic sit verè irregularis in re; nam irregularitas, cum sit certa pœna, & certo delicto, seu facto vt secuto adnexa, in re non contrahitur, nisi effectu secuto: vnde ille in re pœna irregularitatis non afficitur, nisi certò secutum sit homicidium. Dico tamen, quod quia moraliter certò præsumitur secutum, ideo par est, vt se gerat tamquam irregularem, & temerè non celebret, seu ordines suscipiat: alias se exponet periculo moraliter certo celebrandi cum irregularitate, & per consequens peccandi mortaliter; cum moraliter certum sit hunc occidisse, & per consequens irregularitatem incurrisse.

Ad id, quod additur, quod si se gerat vt irregularem, perinde est ipsi, ac si verè pœna irregularitatis puniretur. Resp. Hoc non esse absurdum, sicut inductione patet in omnibus alijs pęnis, præcipuè, quæ forum animæ concernunt. An non fortasse qui certò moraliter præsumitur excommunicatus, non debet se gerere vt talem? Qui certò mortaliter præsumitur peccasse, non

debet

debet se gerere, vt si mortaliter in re peccasset? Qui certò moraliter pręsumitur suspensus, non debet se gerere, ac si in re suspensus esset? Alias, quæ absurda sequerentur, si solum de excõmunicatione phisicè certa, de peccato phisicè certo, de suspensione phisicè certa &c. quis curare deberet? Neque hoc iniquè fit, cum alioquin ille, de quo agitur, mereatur hanc pęnam, cum quantum est ex se, factum posuerit, & ex alia parte instet periculum peccandi, si secus agatur.

Dixi, pręcipuè quoad ea, quæ forum animæ concernunt, quia alię pœnę, quę à Iudicibus solent imponi pro irregularitate; puta, priuatio beneficiorum &c. quis non debet præsumere, quod ipsum afficiant; sicut nec à Iudicibus pro facto dubio debent imponi. Sãchez. *in decal. lib.* 2. *c.* 10. *nu.* 45. vbi testatur de communi. Quamuis fortasse in hoc dubio à Iudicibus imponerẽtur, cum moraliter certò præsumatur delictum fuisse commissum, & factum secutum. Cum præsertim in foro fori prę̨sumptiones certæ ipsi veritati ęquiualeant.

Resp. secundo ad argumentum, quod licet in hoc casu homicidium sit dubium ex parte effectus, in quantum scilicet ipsius homicidij nulla habetur notitia; tamẽ ex parte causæ homicidium est certum moraliter, quia causa moraliter certiorat de effectu cum ipsa moraliter semper connexo. Vnde timeat quis se incurrisse pænam, & ad cautelam petat absolui.

Ad cõfirmationẽ dico, posita causa certò moraliter connexa cum effectu possessionem certò præsumi pro ipso effectu; vnde possessio libertatis, quam quis habebat, amittitur, vel præsumitur amitti ex hoc ipso, quod ponitur causa semper moraliter connexa cum tali effectu. Amittitur ergo reuera effectu secuto, sed prę̨sumitur amissa, causa posita, ex qua moraliter semper

 sequi-

ſequitur effectus, talem tollens libertatem. Et ideo ne quis periculo peccandi ſe exponat, debet tutiorem partem ſequi, & ſe gerere vt irregularem.

Vrgebis ex eodem. Dubius de damno illato abſolutè non tenetur ad reſtitutionem; ergo neque dubius de homicidio, tenebitur pæna irregularitatis.

Reſp. quod an dubius de homicidio afficiatur in re pæna irregularitatis, Deus ſcit, qui ſolum nouit, an homicidium in re ſit ſecutum. Dico autem, quod tenetur ſe gerere vt irregularem ad cautelam, ad euitandũ periculum peccandi mortaliter, & temerè celebrandi; cum moraliter in caſu concluſionis certò præſumatur effectus ſecutus. Nullum eſt autem periculum peccandi, vel temerè inferendi iniuriam alicui, ſi quis non reſtituat, niſi certus de damno illato; nam ſi facta ſufficienti diligentia non poteſt certiorari, an alicui damnũ ſit illatum, & quæſita perſona, cui timetur damnum illatum, illa non comparet, nec queritur de damno, quod patitur, cui fieri debet reſtitutio, ſeu potius, cui debent compenſari damna? Præſumitur ergo tunc nulla perſona fuiſſe offenſa, alias petita reclamaret. Secus autem in caſu noſtro, quia perſona de qua quæritur, ideo quia non apparet, ideò quia non reclamat, præſumitur occiſa. Ideo diſparitas.

Præterea ecce aliam diſparitatem. Ego non dico, quod in caſu noſtro hic ſit irregularis, & quod abſolutè diſpenſationem petat, ſed ad cautelam ſolum, & ſub conditione. At ille, qui debet reſtituere, cui debet reſtituere ad cautelam, & ſub conditione? Addo, reſtituere ſub conditione eſt dare cum hoc pacto, quod ſit reddendum id, quod datur, ſi non ſit damnum illatũ; cui autem debet, aut poteſt dari pecunia, hoc modo? fortè ne Eccleſiæ, vel alicui in depoſitum? Benè; ſed hoc

depoſitum

depositum seruare quilibet potest apud se, & sic sufficiet, quod animum habeat paratum restituendi quotiescumq; constabit de damno illato; quod certè fieri debet, sed non antecedenter restituere, cum nõ possit imminere opus, quod necessario exigat, quod quis in re sit immunis à damno illato. Secus autem in casu irregularitatis; ideo &c.

Dices. Non præsumitur factum, sed probatur; ergo non debet quis præsumi homicida, & irregularis.

Resp. Quod absolutè sine sufficienti fundamento factum non præsumitur; sed quando est iuxta causa præsumendi, & quidem adeo valida, vt in casu nostro; factum non solum potest, sed debet præsumi, cum hæc ipsa præsumptio sit valida facti probatio.

Vt autem afferam aliquod exemplum Conclusionis, & non semper in vniuersali loquar, hoc accipe. Si quis venenùm, quod hominibus propinatum à communiter accidentibus semper interficit, alicui propinet, & postea dubius remaneat de morte ipsius, debet se præsumere irregularem. Item quis explodit tormẽtum bellicum in multitudinem simul confertam hominum, habet occasionem dubitandi, an aliqui mortui sint, sed non potest certiorari; se gerat vt irregularẽ. Sic in facti contingentia, vidi ego actum Romæ cum quodam Religioso, qui cum adhuc secularis esset, iusserat in Castro suæ Iurisdictionis explodi tormentum bellicum contra quosdam milites illac pertranseuntes, cum quibus populares rixabantur. Dubitans enim hic, an ex dicta explosione aliqui ex illis militibus fuissent occisi, dispensationem petijt, sic consulentibus Doctoribus.

Secunda vero Conclusionis pars probatur, quia causa posita etiam moraliter non nisi contingenter est cõ-

nexa cum effectu, & aliquando effectum causat, aliquando non; ergo non minus ex positione ipsius potest pręsumi effectus, quàm negatio effectus, ac proinde non minus potest pręsumi, quod sit, quam quod nō sit irregularis. In pari autem causa, & cum iura partium sunt obscura reo fauendum potius, quàm actori; ergo homini fauendum, quod irregularis non sit, nec se gerat, vt irregularem.

Confirmatur. In hoc dubio possessio est pro immunitate à pena, & pro libertate. Nam hęc possessio per quid aufertur? non per effectum, qui dubius est: non per causam, cum qua non minus etiam moraliter stat effectus, quam negatio effectus; ergo nihil est, quod vllo pacto possit hanc possessionem deturbare. In dubijs autem melior est conditio possidentis.

Dices. Se debet gerere vt irregularem, quia tutius est cessare, quàm temerè celebrare: & quia sic deciditur *in c. ad Audientiam. Significasti 2. & Petitio tua. de homicidio voluntario*.

Resp. Quod in nostro casu quis temerè non celebraret, quia non temerè, sed cum maximo fundamento se non pręsumeret irregularem. Textus, qui afferuntur, non sunt ad rem. Nam in duobus primis est sermo de dubio, an quis occiderit, quando quis certus est de effectu secuto, & de sua cooperatione, à qua solum dubitat, an homicidium oriatur. In casu autem nostro etiam dubitatur de effectu secuto.

Textus item allatus *in c. Petitio tua*, nec est ad rem; non quidem propter id, quod dicit Prępositus apud Dianam *p. 4. tract. 2. resol. 30.* quia scilicet Pontifex ibi loquitur non in dubio, sed quando quis potest formare probabile iudicium, quod occiderit, quia dicit, *si conscientia te remordeat.* Nam hoc dici non potest, loquitur

enim

enim ibi Textus clarissimè in dubio, & conscientiam remordere, stare potest, etiam cum dubio vehementi, licet non sufficienti ad opinandum; sed benè ille Textus non est contra nos, quia ibi erat casus de positione causæ, quæ moraliter semper est connexa cum effectu; ait enim Textus, *vnde cum pro eo, quod percussisti aliquos, metuas irregularitatem incurrisse*. Ex quo sequitur, quod constabat de percussione plurium, & quidē graui in bello; ex qua à communiter accidentibus moraliter semper aliquis perit, saltem aliquis illorum, qui sunt percussi; hic autem non sumus in casu; ideo &c.

Exemplum autem Conclusionis sit; Quis explodit contra aliquem sclopetum, nescit an vulneratus, vel mortuus remanserit, dubitat, nec potest certiorari, non se gerat vt irregularem.

Conclusio Tertia.

Certus de homicidio secuto, dubius autē, an in homicidium simpliciter influxerit, non se gerat vt irregularem, si facta sufficienti diligentia remanet dubius. Si autem sit certus de homicidio secuto, & sit certus de sua cooperatione in homicidium, & solum dubitet, an homicidium secutum, ex sua cooperatione secundum substantiam aliquo modo ortum sit, siue adęquatè, siue inadęquatè, se gerat vt irregularem.

Conclusio quoad primam partem probatur, quia in hoc casu nulla potest esse præsumptio benè fundata, quod occiderit, nec vllum fundamentum, nec probabile habere potest, quod occiderit; ergo temerè se gereret vt irregularem, & sine fundamento; ergo cum fundamēto maximo nō se gerat vt irregularem. Quodnam est hoc fundamentum? Possessio suæ libertatis, & immunitatis à pęna, præsertim cum factum, hoc est,

cooperatio non præſumitur, ſed probari debet. Item Actore non probante reus abſoluitur; ergo nulla ratione valida probante ſe occidiſſe, ſeu ad homicidium cooperaſſe, abſoluatur à culpa, & pęna.

Sit Concluſionis exemplum. Quis dubitat, an conſuluerit alicui homicidium, quod poſtea ſcit ab illo fuiſſe commiſſum; non poteſt certiorari, non ſe gerat vt irregularem.

Dices. Tenetur confiteri ſe dubitare, an homicidio conſilium dederit; ergo tenetur ſe gerere etiam vt irregularem, & ſicut petit abſolutionem ſacramentalem in hoc dubio, ſic petere tenetur diſpenſationem ab irregularitate.

Reſp. Conceſſo antecedente, quod tamen ab aliquibus negatur; nego conſequentiam. Diſparitas eſt manifeſta, quia eſt præceptum confitendi peccata etiam dubia, in ipſa natura confeſſionis incluſum, quæ hanc obligationem ſecum affert, quæ iàm ex communi praxi, & conſuetudine Eccleſiæ immemorabili, & ab ipſis Apoſtolis tranſmiſſa omnes afficit, & ligat. Vid. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. d.* 16. *ſect.* 2. *§.* 3. Cęterum, quod quis ſe gerat vt irregularem in hoc caſu, nullum eſt præceptum in Iure; quæ enim ſunt præcepta, vt quis ſe gerat, vt irregularem in dubio homicidij, ſunt pro alijs caſibus, vt ſupra. Addo, quod culpa dubia poteſt quidem abſolutioni exponi, etiam ſi non præſumatur: ſed pęna quis non eſt cenſendus affici, niſi ad minus probabiliter culpa poſſit præſumi, cum non videatur Eccleſiam velle punire pęna aliqua illos, qui nec probabiliter ſunt culpæ conſcij.

Secunda verò Concluſionis pars probatur primò; quia ſic eſt definitum in Iure Canonico *c. ad Audientiam, &* *c. Significaſti* 2. *de homicidio.* ſcilicet certum de homi-

homicidio secuto, in quod quis sufficienter influxit, si dubius sit, an ex suo influxu secuta sit mors, se debere gerere vt irregularem; parum autem refert, quod causa sit totalis, siue partialis, dummodo re vera influat in substantiam actus.

Probatur secundo Conclusio à priori, quia qui ponit causam influentem natura sua in effectum effectu secuto, pręsumere debet causam in effectum influxisse. Vnumquodq; enim, quod natura sua aptum natum est agere, sufficienter applicatum pręsumitur agere, sicut aget necessario, si non impediatur. Impedimenta autem non præsumuntur; præsertim effectu secuto. Vnde pręsumptio semper est pro influxu causę; ergo qui posuit causam natura sua influentem in homicidiũ, siue partialem, siue totalem, pręsumitur homicidium commisisse; ergo pręsumitur irregularis. Ergo se gerat vt talem; peccaret ergo mortaliter, si se non gereret vt irregularem, quia temerè celebraret.

Ex quo infero, consulentem alicui homicidium effectu secuto, debere se gerere vt irregularem, etiamsi dubitet, an homicidium ex eius consilio sit secutum; quia consilium de se est aptum natum influere in homicidium; & fuit sufficienter applicatum, & homicidium est secutum; ergo præsumitur ex dicto secutum consilio. Sanè pręsumptio est contra Consulentem, qui nõ solum reus erit irregularitatis, sed tenebitur etiã stante hoc dubio compensare damna secuta ex homicidio, si principalis executor non restituat, & resarciat damna.

Excipe tamen quoad vtrumq; quando pręsumptio bene fundata, & probabilis daretur, quod homicidium ex dicto consilio secutum non sit: quæ præsumptio quando sufficiat, & ex quibus capitibus oriatur, iudicio pruden-

prudentum standum est. Ex occurrentibus enim circumstantijs in contingentia facti hoc decidi debet. Vid. Sanch. *loc. cit. nu. 44. in fine.*

Dices. Pontifex, dum decernit, quem esse censendũ irregularem, loquitur in casu cooperantis positiuè ad homicidium vulnerando; ergo quia leges pęnales non sunt extendendæ, non debet trahi hoc etiam ad consulentes.

Resp. Quod, vt adnotaui initio *huius sectionis* Pontifex ibi nihil pręcipit, nec vllam pęnam infligit, sed solum docet, quid in aliquo casu sit agendum: nempe in casu dubij homicidij; docet inquam in eo casu, quem esse censendum irregularem, (nõ afficit irregularitate) quia in eo casu pręsumitur occidisse, vnde temerè celebraret. In quocumq; ergo casu, in quo quis pręsumeretur occidisse, vel ad homicidium, quoad substantiam cooperasse, debet pręsumi irregularis, & non celebrare, ne celebret temerè; quia, ergo etiam in casu consilij quis pręsumitur interfector, ideo temerè celebraret, si irregularitatem consulentibus inflictam non timeret, & non peteret prius ad cautelam absolui; ideo &c. Præterea, non debet quis se in illo casu gerere vt irregularẽ solum, quia Iura id pręcipiunt, sed quia etiam ratio vrget; in quocumq; ergo casu eadem ratio militat, idem dicendum, ac agendum erit.

Quod verò spectat ad dubium irregularitatis, quæ timetur ex abortu. Si quis dubitet, an sit irregularis, quia licet causam dederit abortui, dubitat tamen de facto secuto, nec potest certiorari, eodem modo omnino discurrendum, ac *in duabus primis Conclusionibus* dictum est de dubio homicidij: eędem enim rationes militant; & omnino legatur Diana *p. 7. tract. v. resol. 26.* vbi affert doctrinam pulcherrimam, quæ mirificè conclusiones

clusiones nostras, secundam pręcipuè confirmat. Et similiter idem dicatur, *ac in tertia Conclusione*, si abortu secuto, & pręstita sufficienti cooperatione ad abortũ, solum dubitatur, an ex prædicta cooperatione abortus sit secutus, puta ex consilio. Videatur Diana ibidẽ.

Si autem sit dubium de irregularitate, quia licet sit certus abortus, & certa cooperatio, dubitatur tamen, an fœtus fuerit animatus, quid dicendum? Cõmunis sententia affirmat sic dubitantem debere se gerere vt irregularem. Multi DD. à Diana relati, tùm *p. 4. tract. 2. resol. 16.* tùm *p. 7. tract. 5. resol. 24.* negant; & hęc sententia probabilis est Ausonio Noctinot viro eruditissimo, & mihi absolutè videtur vera.

Moueor, quia adhoc vt quis prudenter debeat se gerere vt irregularem, debet cum aliquo fundamento pręsumere posse se occidisse, ac proinde cooperasse, vt abortus sequeretur fœtu animato: aliàs si non præsumere potest se occidisse, quomodo potest præsumere se irregularem: quando præsumptio irregularitatis ex præsumpto homicidio oritur; sed in hoc dubio quis non potest præsumere fœtum animatum fuisse; nam nec probabiliter de hoc constat, nec suppetit vlla causa, vel aliquod signũ animationis sufficiens ad aliud, quam ad dubitandum; ergo nequit præsumere se homicidam. Addo. Animatio fœtus est quid facti; ergo nõ præsumitur, sed debet probari; ergo quoad vsq; non probetur, eius ratio habenda non est; non probatur autem per hoc, quod dubium de illa occurrat. Insto. Possessio est pro negatione animationis fœtus, quam prius certum est fœtum non habuisse; ergo in dubijs pro illa decidendum est, quia melior est conditio possidentis, & illa præsumitur perseuerare; ergo non pręsumitur commissum homicidium, & per consequens non

est, quod quis se gerat vt irregularem.

Iura autem, quæ in dubio homicidij volunt, vt quis se gerat vt irregularem, non sunt contra nos, nec in hoc casu militant; quia ibi est sermo de cooperatione certa in mortem hominis re vera viui, & certo viui: at in casu nostro dubium est, an ille fœtus, cuius procuratur extinctio viuus sit, an non; vnde textus illi hunc casum non comprehendunt: vt benè aduertit Machadus relatus à Diana, vbi supra.

Sed dices. Ergo si quis hominem dormientem vulneribus confodiat, dubius, an verè dormiat, vel sit mortuus, dubio contingente siuè ante, siue post factum, non debebit se gerere tamquam irregularem, quia similiter dubitat de vita illius, quem alioqui scit se confecisse: hoc autem videtur absurdum; ergo &c.

Resp. Negando consequentiam. Disparitas est manifesta; quia in hoc casu, Possessio est pro vita dormientis: cum enim vita præfuerit, præsumitur durare, quotiescumq; non constat de eius ablatione; vnde in dubio, an qui antecedenter viuebat, viuat adhuc, dum reperitur in statu, in quo non constat de morte, quia in eo statu homines viuunt, in statu scilicet dormiendi, præsumptio est pro ipsius vita, & qui illum vulneribus conficit, prǽsumitur hominem viuum interficere, & per consequens præsumitur irregularis. At vero in casu nostro Abortus, quando dubium contingit, an fœtus fuerit animatus, possessio est pro non animatione fœtus, quæ antea erat, & nondum constat fuisse ablatā. In dubijs autem melior est conditio possidentis, & hinc in hoc dubio præsumendum est pro non animatione fœtus. Vnde procurans abortum effectu secuto cum hoc dubio prǽsumitur non interfecisse hominem, & per consequens neq; debet præsumi irregularis.

Quod

Quod verò ſpectat ad alias irregularitates, quæ non incurruntur ex homicidio, ſed ex alijs capitibus. quid dicendum?

In primis, quod attinet ad dubium irregularitatis ex mutilatione, ſeu ex quouis alio facto proprio, ex quo quis irregularitatem incurrat, cenſeo omnino procedendum eo modo, quo in dubio facti homicidij: quod ſcilicet ſe gerat tamquam irregularem, quando dubitat de mutilatione à ſe facta, quando tenetur ſe gerere vt irregularem in dubio homicidij; & non teneatur ſe gerere vt irregularem in dubio mutilationis, quando non tenetur ſe gerere vt irregularem in dubio homicidij; quia eędem militant rationes; & ſicut homicidæ ſtatuta eſt in Iure pęna irregularitatis, ſic mutilanti *c.is qui. de homicid. in 6.*

Sed dices. Eſt ſpeciale in dubio facti homicidij, quod quis cenſeatur vt irregularis, quia hoc expreſsè decidìtur in Iure, *c. ad Audientiam &c.* ergo non debet extendi ad dubium mutilationis; cum irregularitas nõ debeat extendi extra caſus in Iure expreſſos, nec valeat argumentum à paritate rationis.

Reſp. Quod in hoc argumento eſt æquiuocatio; aliud enim eſt, quod irregularitas in vno caſu ſtatuta, non poſſit extendi, nec à paritate rationis ad alios caſus, quia pænę, & odia ſunt reſtringenda; aliud vero, quod quotieſcumq; in aliquo caſu quis debet timere, ne pænã irregularitatis incurrerit propter aliquam rationem, ac proinde ad cautelam debet diſpenſationem petere; Idẽ etiam non ſit dicendum in caſibus ſimilibus. Primum eſt verum; ſecundum eſt falſum. Primum quidem eſt verum, quia irregularitas cum ſit pęna, à ratione, non prouenit, tamquàm à cauſa efficiente, ſed ſolum à Iudice puniente, ſeu voluntate ipſius. Etiamſi ergo in

vno casu militet eadem ratio, propter quam pæna in alio casu fuit statuta, non proinde pæna in ea est apposita; quia licet sit eadem ratio, deest voluntas punientis. At vero secundum falsum est, quia ratio præcisè, quarè in aliquo casu timeatur contracta irregularitas, non est voluntas imperantis, quæ velit, vt timeatur; sed est ratio, quæ suadet, vt timeatur, & sic ad cautelam petatur absolutio. Sic pendet quidem à iure expresso, quod homicidæ sit statuta pæna irregularitatis: vnde hęc pæna nõ potest irrogari furanti; sed quod in dubio homicidij timeatur irregularitas, hoc à ratione pendet, quia nempe hic, & nunc quis præsumitur homicida. Sic in testibus allatis *c. ad audientiam &c.* non est, quod Põtifex dubium de homicidio decernat irregularem esse, sed, quod se gerat vt irregularem, decernit, non quia sic velit, & hoc in pęnã illi imponat, sed quia præsumitur homicida; & cum quis pręsumitur homicida, tutius est cessare, quam temerè celebrare; ergo in quocumq; casu quis pręsumatur reus alicuius facti, cui sit annexa in Iure irregularitas, debebit tutiorem partem sequi, quia militat eadem ratio. Hoc autem benè aduertatur, quia in hoc æquiuocarunt multi, ijque graues DD.

An verò in dubio, an quis sit illegitimus, censendus sit irregularis; cum distinctione respondeo. Nam vel dubitatur, an quis sit illegitimus ab initio sui ortus, puta, quia expositus fuit, & super ianuam Hospitalis repertus, vel propter quid simile: & tunc dico, quod si à communiter accidentibus, semper expositi hoc modo sunt illegitimi; & hic pręsumitur, quod sit illegitimus, & per consequens censendus est irregularis, quia præsumptio est contra ipsum; si autem è contra, qui exponuntur à communiter accidentibus non semper sunt illegitimi, sed etiam consueuerunt legitimi exponi

ni propter inopiam, vel quid simile, in hoc dubio habendus est pro legitimo, quia in pari causa semper reo fauendum est, & peccatum parentum non debet præsumi, & per consequens non debet se gerere vt irregularem. Quia tamen communiter, qui exponuntur, illegitimi sunt, ideo sic expositus censeatur illegitimus, & irregularis; vno verbo, qui potest præsumi illegitimus, se gerat vt irregularem: secus qui non potest prçsumi illegitimus.

Si autem dubium, an quis sit illegitimus, contingat post aliquod tempus; tunc si facta sufficienti diligentia quis de hoc nequeat certiorari, debet se tenere in ea possessione, in qua erat ante dubium; si enim habebatur pro legitimo, legitimus etiam post dubium censeri debet, & non irregularis; si habebatur pro illegitimo, illegitimus censeatur, & irregularis; quia possessio hanc vim habet, vt ab illa, siuè bona, siuè mala per prçcisum dubium quis non debeat remoueri.

Quando autem contingunt opiniones contrariæ probabiles, an aliquis sit, vel non sit irregularis, seù, an se debeat gerere, vel non gerere vt irregularem, potest quamuis in praxim deducere. Ita de qualibet censura dixi *sect*.4. censuisse Megalam.

1. Et ratio quo ad primam partem ea est quia, tunc quis remanet in ignorantia probabili facti, an scilicet sit irregularis, quàm vincere non potest, nec tenetur ex dictis *sect*. 3. sed cum ignorantia probabili quis excusatur, si non se gerat vt irregularem, & si non se reputet talem. arg. *c. Apostolicæ. de Cler. excomm.* nec sic agens vllam pçnam incurrit; tùm *d. c. Apostolicæ*; tùm quia nulla in Iure statuta pçna est irregulari celebranti, seù Ordines suscipienti. A peccato autem excusatur; tùm quia sequitur opinionem probabilem, vndè pru-

prudenter operatur; tùm quia ignorantia inuincibilis à peccato excusat; ideo &c. & per hæc etiam manet probata secunda pars.

SECTIO SEPTIMA.

Expenduntur alia dubia Facti.

ALiud dubium facti est dubium excommunicationis, quam quis dubitat contraxisse, eo quia dubitat se fecisse aliquid, cui scit esse adnexam excommunicationem. In quo dubio duæ sunt grauissimorum DD. sententiæ contrariæ, alijs contendentibus, eum, qui in hoc dubio est, se debere gerere vt excommunicatum, alijs negantibus.

Ego respondeo cum distinctione. Vel qui dubitat, in eo casu est, vt possit pręsumi excommunicatus; eo quia potest pręsumi commisisse factum, cui est adnexa excommunicatio; & hunc se debere gerere vt excommunicatum petendo absolutionem, pro certo habeo; sicuti supra dixi de Irregularitate *Conclus.* 2. *&* 3. *sect. præced.* Quia possessio suæ libertatis huic non suffragatur, cum potius pręsumatur amissa libertas; & temerè profectò diceretur hic agere, si se excommunicatum non gerens, vel celebraret, vel quid simile sibi prohibitum ageret; & incurreret omnes pęnas à Iure statutas, si re vera excommunicatus esset; vndè propter hoc periculum graue certò moraliter imminens, cui se temerè exponeret, peccaret mortaliter.

Neque diceretur hic habere inuincibilem ignorantiam, vel probabilem excommunicationis, cum deberet præsumere se excommunicatum; eo quia fecisse id, cui adnexa est excommunicatio, præsumitur: vndè temerè ageret; præsumptio enim valida, quam habet, & moraliter

liter certa, pręponderat, seù æquiualet scientiæ.

Si autem, qui dubitat, an sit excommunicatus, quia dubitat de facto, cui scit esse adnexam excommunicationem, facta sufficienti diligentia, ità dubitet, vt nullam habeat præsumptionem contra se: certum est, quod tunc in foro fori non debet se gerere vt excommunicatum, quia tunc possidet sua libertas. In foro autem animæ, si dubitat dubio vehementi, licet non sufficienti ad opinandum, arbitror quod debeat se gerere vt excommunicatum, & petere absolutionem; & ratio est, quia licet re vera in hoc dubio sit perinde ac inuincibiliter ignorans; vnde alioquin si celebraret, nullam pęnam incurreret, *arg. c. Apostolicæ. de Cler. excomm.* & alioquin etiam ob hanc inuincibilem ignorantiam posset dici, quod posset absolui à peccatis; quia excommunicatio directè non impedit Sacramenti validitatem, sed solum indirectè, quatenus scilicet, qui excommunicatus accedit, in hoc quod accedit, peccat grauiter; vnde ponit obicem Sacramento: in hoc autem casu dubius non peccaret accedendo, quia inuincibiliter ignoraret excommunicationem, quam nesciret adesse, & de qua non posset certiorari; vndè temerarius non esset, nec iniuriam faceret Sacramento. Tamen quia si re vera esset excommunicatus, esset re vera priuatus suffragiorũ, & bonorum omnium communione; & ideo si absolutionem non peteret ad cautelam, se exponeret periculo voluntariè, quod simpliciter scit adesse, carendi his suffragijs, hinc grauiter videretur peccare contra charitatem, quam sibi debet; vndè ne peccaret, teneretur ad petendam absolutionem saltem sub conditione.

Confirmo. Factum, de quo dubitat, tenetur sub mortali in confessione exponere, & de illo absolutionẽ petere; ergo etiam de excommunicatione adnexa; pa-

tet

ter consequentia, quia sicut est preceptum inclusum in natura confessionis, quod quis exponat peccata dubia: sic est præceptum charitatis, quod quis se non exponat periculo carendi tanto bono, quale est communio Sanctorum.

Si quis autem probabilem opinionem habeat, quod factum, cui est adnexa excommunicatio, non posuerit, quid debet agere?

Sanè, si in ipso opere ponendo ita agat, vt sit nescius talis circumstantiæ, seù etiam probabilem opinionem habeat, quod tunc non adsit in opere illa circumstantia, ob quam incurratur excommunicatio, certum est tunc non incurri excommunicationem; ex c. *Si vero. de sententia excommunicationis.*

Si verò quis post factum, elapso multo tempore, incipiat dubitare, an tale opus simpliciter peregerit, vel an tale opus simpliciter habuerit circumstantiam adnexam, ob quam est lata excommunicatio: & facta sufficienti diligentia, habeat opinionem probabilem, quod tale opus simpliciter, vel talem circumstantiam non posuerit; difficultas grauis esse potest, an se debeat gerere in foro animæ vt excommunicatum, & petere ad cautelam absolutionem.

Videtur autē prima facie respondendū quod non; nam hic cum huiusmodi opinione, quod factum non posuerit, vel circumstantiam illam aggrauantem, non tenetur confiteri, nec factum, nec circumstantiam, nec de illis tenetur petere absolutionē; ergo neque tenetur petere absolutionē ab excōmunicatione, quæ pena est adnexa facto. Antecedens conceditur communiter; consequentia patet, quia difficile est, quod si ego non teneor subdere clauibus culpā, tenear subdere penam.

Et licet dici possit; illa opinio, qua credis factum nō

com-

commisisse, potest esse falsa; si autem falsa sit, & peccasti, & excommunicationem incurristi; peccatum autẽ etiamsi clauibus non subijciatur directè, tamen indirectè remittitur; quia habetur perindè ac oblitũ. At excommunicatio durat, ac proinde quis priuatur communione Sanctorum; ergo nullus debet se exponere huic periculo; sed sicut propter hoc periculum in dubio quis debet absolutionem petere, sic etiam in casu opinionis probabilis.

Responderi tamen potest, quod in casu opinionis probabilis periculum est magis remotum; vnde non teneri hominem adeo hoc periculum curare, sicut in casu dubij, quia est periculum magis proximum. Secundo, quis in casu dubij tenetur factum, & peccatum subijcere clauibus, vnde non est mirum, quod etiam debeat curare, quod absoluatur à pęna, secus autem in casu præsenti.

Addo, quod sicut peccatum, si commissum est, remittitur indirectè, sic etiam pæna excommunicationis remittitur, etiamsi non manifestetur; cum ad non manifestandam habeatur iusta causa: remittitur, inquã, excommunicatio per illa verba, absolutioni à peccatis præuia, *ego absoluo te ab omni vinculo excommunicationis &c.* quæ verba cum ex vsu Ecclesię semper proferantur etiamsi nulla manifestetur excommunicatio, debent intelligi cadere super occultas excommunicationes, quæ iuxta de causa non manifestantur; & idem dicendum de excommunicatione oblita,

Quod si excommunicatio esset reseruata, quæ proinde per illa verba non posset absolui à non habente auctoritatem, cum consultò semper Sacerdos addat, *in quantum possum, & tu indiges*, adhuc potest dici periculum esse magis remotum, quam curari debeat: præ-

 sertim,

sertim, cum non immineat periculum mortis; & si immineret, tunc, quilibet habet auctoritatem super reseruata; indè non remaneret priuus semper communione sanctorũ. Præterea sequentibus temporibus veniente Iubileo quis confitebitur Superiori, seu habenti auctoritatem super reseruata, & sic absoluetur postea.

Amplia, quod dicta multò magis procederent, si esset vera sententia multorum, quos refert Diana *p. 5. tract. 9. de excommunicatione resol. 75.* dicentium iustificatum ex hoc ipso reddi communioni Sanctorum, & suffragijs Ecclesiæ.

Verum quia hæc omnia, licet verosimilia multum sint, adhuc tamen absolutè falsa esse possunt, cum non sint certa, sed probabilia, licet admodum; ideo simpliciter periculum non præcauetur, ac proinde consultissimum censeo, etiam in hoc casu absolutionem petere ad cautelam. Sanè admoneantur Pænitentes de periculo, quod absolutè ipsos manet, & ipsi, opinor, absque vlla hæsitatione absolutionem petent: nolent enim in re tã graui se periculo exponere, quod simpliciter negare quis non potest, nõ adesse; appelletur modo remotum, & remotissimum, semper erit, ideo &c.

Dices. Nullus est textus decidens in dubio excommunicationis quem se debere gerere, vt excommunicatum, & multò minus in casu opinionis probabilis.

Resp. quod licet nullus sit textus hoc decidens, est tamen ratio, quæ adhoc cogit, eadem quidẽ, ac maior, quàm sit in dubio irregularitatis; quia ibi, si falsa sit opinio probabilis, nullum incurritur periculum: hic autem sic, nempè amissionis communionis sanctorum.

In quantum autem ad dubium suspensionis, pariter distinguendũ censeo. Vel iste præsumit solũ potest fecisse

cisse id, cui est adnexa suspensio; vel non; si primum; se gerat omnino vt suspensum; alias temerè non se gereret talem, & se exponeret periculo certo moraliter incurrendi pęnas, quæ suspensis infliguntur, si suspẽsionem negligant; si verò secundum; nec in foro animæ se gerat vt suspensum; ratio est, quia suspensio tunc est inuincibiliter ignorata; vndè esto illum in re afficiat, nullo damno, nulla pęna inde consequente illum afficit: cum inuincibiliter ignorans suspensionem, non incurrat vllam pænam suspensis inflictam, si suspensionem negligat; argumento *c. Apostolicæ de Cler. excommunicato.* & consequenter idem dicendum, & multo magis cum opinione probabili, quod suspensus quis nõ sit.

Quando autem quis dubitat, an fecerit aliquid, quod scit esse reseruatum, si facta sufficienti diligentia remaneat dubius, censeo, quod debeat tutiorem sequi, nec possit absolutionem petere ab ordinario Confessore non habente auctoritatem super casus reseruatos; nec possit Confessor non habens prędictam auctoritatem illum absoluere.

Moueor, quia illud peccatum debet exponi clauibus: certè, vt remittatur, si adsit; sed si adest, nõ remittitur; ergo illuditur Sacramento, dum tale peccatũ exponitur; ergo peccat, tàm qui exponit, quã qui excipit; quod vnus proponat, alter recipiat materiam ineptam; & sic inualidatur Sacramentum. Præterquam, quod iam Sacramentum manet inualidum, si casus in re adsit, de quo dubitatur.

Minor assumpta probatur, quia si adest, super illud peccatum non habet auctoritatem Confessarius; ergo non remittitur: directè ad minus, quia nihil directè remitti potest in Sacramento pęnitentiæ, ad quod non habeat auctoritatem Confessarius. Sed neq; indirectè,

quia indirectè remittuntur peccata oblita,& quæ clauibus non subijciuntur sine culpa: quæ autem clauibus subijciuntur,non nisi directè remitti possunt,cum iam sint materia directa. Addo, scit hoc periculum Confessarius, scit hoc pęnitens; quare voluntariè volunt peccata talia exponere, quæ indirecta habeant opus remissione? Ex hoc ipso, quod negligunt directam remissionem,iniuriam faciunt Sacramento, & non merentur neq; indirectam.

Dices. Illud peccatum esto sit commissum, quia sub dubio proponitur, non est reseruatum, ex dubio enim suspenditur reseruatio, & ideo directè remittitur.

Sed contra est, tùm quia, quod suspendatur reseruatio, hoc est sub opinione, vndè potest esse falsum, & per consequens non euitatur periculum, de quo supra; ac proinde peccat, qui huic periculo se exponit; tùm quia, quare dubium meũ debet suffragari peccato meo, quod non sit reseruatum; præsertim si dubium meum non suffragatur mihi, quin debeam peccatũ confiteri.

Dices. Est opinio probabilis, quod tunc casus non sit reseruatus, vndè iuxta illam prudenter quis potest agere, & sic potest tutiorem non sequi.

Resp. Quod, quia omnino opinio probabilis potest esse falsa, ideo in materia Sacramentorum dixi supra *d.*3. sequendam sententiam tutiorem,& certam,& prudenter non agere, qui probabilem sequitur; Ideo &c.

Cum opinione autem probabili, quod quis delictũ, quod est reseruatum, non egerit, concedo vltro non teneri quem tutiorem sequi;& ratio manifesta est,quia non tenetur simpliciter illud in confessione manifestare: vnde neq; Confessarius quærendus est, qui habeat auctoritatem super reseruata peccata.Etiamsi ergo peccatum commiserit, non imputatur ei ad culpam, si in con-

confessione illud non aperiat, & habetur pro inuincibiliter oblito, & sic indirectè remittitur.

Quod spectat ad dubium matrimonij, siuè ex consanguinitate, siue ex vita prioris coniugis, est resolutio firma in Iure, quod coniux sic dubius teneatur reddere, sed non possit petere, & quidem si sit dubium vehemens, & bene fundatum, & discretum; alias dubia leuia ad consilium Prælati sunt deponenda, & illis depositis potest coniux licitè, & reddere, & petere, *c. Inquisitioni. de sententia excomm.* & hinc sequitur cum hoc dubio non posse quem transire ad secundas nuptias, vt habetur in *c. Dominus. de secundis nuptijs.* Rationes huius resolutionis hic non appono, quia legi possunt apud Vasq. *p. 2. d. 66. c. 4. & seq.* vbi acutissimè hanc materiam explicat, sicut & alia dubia circa hoc possibilia contingere.

An autem cum opinione probabili mortis prioris viri possit nubere mulier; *ex Gl. v. alij super c. in præsentia. de sponsal.* videtur decidi posse, quod sic, iunctis auctoritatibus, & allegationibus Barbosæ *super d. c.* Et ratio meo iudicio esse potest, quia mulier sic agens prudenter agit, & non peccat. Item esto, vir eius mortuus non sit, adulteratur quidem in re; sed merè materialiter, quod ipsi non imputatur ad culpam.

Sed quia sumus in materia Sacramentorum, placet oppositum sustinere, quia cum illa opinio possit esse falsa, exponit se mulier periculo irritandi Sacramentũ matrimonij, quod secundo vult contrehere; vnde facit iniuriam Deo, vt institutori huius Sacramenti; & ideo contra Religionem peccat.

Facilius dicerem, quod nupta iam secundo Viro, si habeat opinionem probabilem de morte prioris Viri, possit reddere, & petere; quia iam petendo non peccat,

cat, & esto in re adulteraretur, adulterium ipsi non imputaretur ad culpam. Sed de hoc iudicent Viri docti, sicut eorũ iudicio etiam relinquo, quando mulier posſit dici sufficienter certiorata de morte Viri, ex Barbosa *vbi supra*.

Aliud dubium facti potest contingere in hoc casu. Quis dubitat, an sit elapsa media nox, seù an punctum mediæ noctis aduenerit; dubitat proinde, an prosequi possit comedere carnes, vel simpliciter comedere, cum die sequenti sit ieiunandum. Seù hodie est dies ieiunij, dubitat, an punctum mediæ noctis sit elapsum, vt possit carnes comedere, quia dies sequens non est dies ieiunij; vel dies sequens est communionis, dubitat, an sit elapsum punctum mediæ noctis, ac proinde, an possit prosequi manducare, cum debeat ieiunus ad sacram communionem accedere.

Breuiter ad primum dubium censeo respondendũ; quod tenetur facere sufficientem diligentiam; si tamen post illam adhuc remanet dubius, potest sine scrupulo prosequi comedere carnes: nõ quidẽ propter illas friuolas rationes, quibus mouetur ad dubitandũ, quod nõ sit elapsũ punctũ mediȩ noctis; sed propter hãc validissimã, quia scilicet ille quoad vsq; nõ certioretur de lapsu mediȩ noctis, est in possessione comedendi: toto enim die antecedenti potest comedere carnes, & ideo semper manet in possessione sua, quoadusque ab illa non deturbetur; dubium autem incertum non potest tollere possessionem certam; ideo hic adhuc potest in sua possessione & libertate commorari. Sanè enim in dubijs melior est conditio possidentis; ergo cum possesſio in illo die sit pro sua libertate, quoadusque non sufficienter certioretur de amisſione suæ libertatis, potest in illa manere, & secundum illam operari.

Dices.

Dices. An dies, in quo potest manducare, sit in sua possesione, dubius est; ergo etiam de possesione suæ libertatis dubius est; ergo illa, vtpote dubia, non potest ipsi suffragari.

Resp. Quod licet quis dubitet de possesione diei, eo quia dubitat, an dies sit elapsus: non tamen debet dubitare de præsumptione possesionis diei; quia licet nesciat, an dies duret, scit tamen præsumi, quod duret, cũ sit certa possesio, quã dies habebat, & dubitatur solũ, an aduenerit instans, in quo suam possesionem amittit; in hoc enim dubio præsumitur pro illa, quæ certa antea erat; sicut enim possesio, quæ certa est, nõ tollitur, nisi per certum adimens illam super adueniens: sic possesio, quę erat certa, numquam præsumitur ablata, nisi constet de aduentu eam possesionem auferentis. Esto ergo similiter quis dubitet, an sua libertas comedendi duret, certè præsumi debet durare; cũ qua præsũptione potest agere, ac si re vera possesio suę libertatis duraret, & sic hæc presũptio tã benè fundata ipsi suffragatur.

Hinc esto re vera punctum mediæ noctis esset elapsum, & hic prosequeretur comedere, certè non peccaret; & illa comestio licet materialiter esset mala, & illicita; ipsi tamen non imputaretur ad culpam, quia prudenter agit, agendo cum tàm benè fundata præsumptione.

Hinc pariter ad secundum dubium respondeo, dubitantem, an sit lapsa dies ieiunij, teneri abstinere à comestione, quoadusq; certioretur de lapsu diei; quia in hoc dubio standum est pro possessione diei, in qua ieiunium obligat, & cum durante illa præceptum ieiunandi sit in sua possessione, & nondũ cõstet, an hæc possessio sit abrogata, quia non constat de aduentu sequentis diei, quæ est causa abrogans, & tollens ieiunium à sua posses-

possessione, pro præcepto sententiandum est.

Ad tertium verò dubium respondeo similiter, posse quem prosequi manducare, quia possessio est pro die antecedenti. Mane autem sequenti, si facta sufficienti diligentia adhuc quis remaneat dubius, an reuera, cum prosecutus est comedere, fuisset elapsa media nox: dico, quod potest sine scrupulo communionem recipere, quia præsumptio est pro die, quod non fuisset elapsa, vnde præsumitur ieiunus; & esto in re ieiunus non esset, non peccaret, quia cum inuincibili ignorantia ieiunij accedit: ignorat enim se non esse ieiunum, non potest certiorari, & hanc ignorantiam vincere, & ex alia parte debet præsumere se ieiunum. Vnde iniuriam non facit, nec transgreditur cum culpa præceptum Ecclesiasticũ: Ignorantia enim à culpa excusat. Addo. Inuincibiliter, seù probabiliter ignorans, se esse excommunicatum, vel suspensum, sacram Communionem recipiens, vel celebrans non peccat contra Ecclesiam; ergo neq; inuincibiliter non ieiunus accedens ad sacram communionẽ. Quod autem dubius non potens certiorari sit inuincibiliter ignorans, dictum est supra fusè.

Aliud dubium facti est circa dominium rei possessæ. In quo dubio certum primo sit, possidentem rẽ aliquam, & dubitantem, an sit sua, nec facta sufficienti diligentia, certioratum, quod res sit alterius, posse illam tuta conscientia retinere, quin & illa vti, quia in dubijs melior est conditio possidentis; hoc autem ius retinendi, & vtendi non oritur ipsi ex dubio, quod res sit sua, seù ex illis rationibus leuibus, quibus, quod sit sua, suadetur; sic enim temerè, & cum paruo fundamento moueretur, sed oritur hoc ius ex possessione, quæ certa est, & facit in dubijs meliorem conditionem suam.

Potest quidem retinere, & vti, sed semper cum ani-

mo

mo illam restituendi, vel æquiualens proximo, si vmquam futuris temporibus comperiatur, quod proximi sit; qui quidem animus non requiritur, quod positiuè sit, & formaliter; sed sufficit, si sit implicitè, seù negatiuè, in quantum non habeat intentionem contrariam; alias peccaret, intenderet enim furari. Excipe tamen, si transactum esset tempus pręscriptionis, pro qualitate rei requisitum; nam tunc non debet habere animum restituendi, quia iam facta est sua vi legis, præscriptionem concedentis; vt tandem aliquando Iura hominũ certa sint. Quę quidem procedunt non solum in possessione ab initio bonę fidei; sed in eo, qui ab initio mala fide possedit, sed postea processu temporis factus est possessor bonæ fidei. E. G. Quis ab initio rem arripit, quam suam esse nescit, sed dubitat; postea facit diligentiam, vt inueniat dominum rei, vt rem restituat: non potest inuenire, tunc incipit bona fide possidere, quia non est certus, quod non sit sua, & nescit cuius sit; in hoc casu possessio ipsi suffragatur, vt possit rem retinere, fit enim tunc illa res velut prius occupantis.

Dubius autem, an res sit sua, quæ in manu alterius est, non potest illam rapere; nec sibi occultè compensare. Nam quo titulo id faceret? propter rationes dubitandi? non; illæ enim friuolæ sunt, & non sufficientes ad prudentem assensum, quod res sit sua. Possessio ipsi non suffragatur, ideo &c. si autem rem expositam inueniret, posset vtiq; illam arripere, quia tunc fit prius occupantis; semper tamen debet habere animum domino restituendi, si compareat.

Dices. Si qui rem possidet, qui dubitat, an sit sua; pauper sit, potest timere, ne si vtatur illa, non possit postea propter inopiam restituere; ergo tunc non poterit illa vti.

Resp. negando consequentiam, quia ius vtendi habet à possessione, quæ ipsi suffragatur eo modo prorsus, ac si res esset verè sua; esto autem possit timere, se non futurum habilem ad restituendum, hoc non obstat; quia non proinde malo titulo consumit, & si non poterit restituere, non tenebitur, quia nullus ad impossibile obligatur; vnde esto possit timere se non restiturum: tamen non potest timere se peccaturũ, quia si poterit, restituet: si non poterit, non tenebitur; pro tunc autem non debet illud ius amittere, quod ex possessione illi oritur. Legatur Vasq. *in p. 2. d. 66.*

Si autem plures dubitent, an aliqua res sit sua, & illa sit in manu tertij, qui illam in depositum habeat; tunc si nullus potest agnosci, vt verus Dominus, inter litigantes res diuidatur, vnicuiq; pro qualitate suorum iurium.

In casu autem opinionis probabilis, quid agendum? In primis si quis possideat, idem dicatur ac in dubio, & quidem à fortiori; siue inceperit possidere bona fide, siue mala fide. Iustificatur enim possessio, à puncto, in quo insurgit opinio probabilis. Si autem res sit in manu tertij depositarij, & duo litigent, expectent sententiam Iudicis, qui iuxta dicta *d.* 3. *sect.* 6. *concl.* 2. debebit fauere parti pobabiliori: vel si æqualia iura habeant, diuidenda res est.

Si autem res sit ab alio possessa, supra quamquis habet probabile ius, potestne illam arripere? si sint priuato homines, & non Principes, certum est nulla violentia vti posse, sed rem ad Iudicem deferendam; si autem sint Principes supremi, qui Iudicem non agnoscant in causis temporalibus? quid dicendum?

Negat Vasq. *in p. 2. d. 64. c.* 3. & alij multi illum sequuntur. Suarez *de bello 2. 2. d.* 13. *sect. 6.* concedit

posse

posse Regem recuperare bello Vrbem, seu Prouinciã, ad quam habet probabilius Ius, quam possessor; secus, si habeat Ius minus probabile, vel ęque probabile. Mouetur, quia Rex in adiudicando sibi Regno Iudex est; ergo tenetur sequi probabiliorem partem. Val. *t.* 3. *d.* 3. *sect.* 16. *punct.* 2. docet absolutè cum opinione probabili posse Regem inire bellum contra possessorem. Io: Sanch. *in selectis d.* 44. *nu.* 55. *& sequentibus* distinguit, & cum opinione probabili iuris posse quem bellum gerere contra possessorem concedit; secus cum opinione facti.

Ego in primis censeo Regem non esse Iudicem de Iustitia, seu de Iure Regni, ad quem pertineat, cum duo Reges sunt, qui Regnum prætendunt ipse, & possessor Regni. Moueor quia Iudex debet habere partes à se distinctas, & sibi subiectas, saltem quoad ipsius iudicium, sed hic Rex, qui dicitur Iudex, est in propria causa, & ipse etiam pars. Item alius Rex non illi subiectus est, nec debet stare eius iudicio.

Secundo cẽseo, quod opinio facti verissima opinio sit, quia ex illa vt plurimũ, consurgere opinionẽ iuris, supra ostendi fusè *d.* 3. *sect.* 6. & sanè quotidie videmus omnes opiniones iuris, quibus mouentur Principes ad bellũ gerẽdũ tandẽ resolui in opiniones facti. Sic videmus quotidie rationes Principum, quibus ostendunt Orbi se iure vel vsurpare, vel velle vsurpare aliquod Regnum, fundari in eo, quod ius Regni ad ipsos pertinet; quod probant ex arboribus familiæ, & hæreditatibus: his enim ostensis non conantur postea ostendere, quod sit opinio DD. quod possint bello Regnum vendicare: sed supponunt; quia ex eo ipso, quod res ostenditur esse mea, ius habeo ad illam mihi vendicandam.

Hinc fortasse non cum limitatione Sanch. sed abso-

lutè dici poteſt cũ Val. vbi ſupra, Regem cum opinione verè probabili poſſe bello res ab alijs poſſeſſas vſurpare: qui quidem res ſuas poterunt iuſtè defendere, & ſic erit bellum vtrinq; iuſtum: materialiter non; hoc enim eſt impoſſibile, ſed formaliter, quia vnuſquiſque agit cum ſufficienti ratione. & ratio eſt; quia ex hoc ipſo, quod quis Princeps probabiliter ſcit Regnum aliquod ſibi deberi, habet ius ad illud, non friuolum, ſed validum, ſed benè fundatum; huic iuri ſuo debet poſſe aliqua forma ſatisfacere, alias ridiculum, & nullum ius eſſet; ſed nulla forma ſuppetit, niſi bello; ergo bello rem poteſt ſibi vendicare. Vrgeo, & hoc eſt argumentum Valentiæ. Poſſet à Iudice repetere, ſi haberet Iudicem ſuperiorem, ergo cum non habeat, poteſt aliquo modo vti, vt repetat, quod ſuum eſt: non niſi bello; ergo &c. Et licet alter Rex poſſidens habeat probabile ius, hoc nihil refert; quia etiam ipſe habet ius, & tenetur conſulere magis iuri proprio, quam alterius; et ſi fortaſſe eius opinio poſſit eſſe falſa, hoc nihil refert; quia bona fide ꝓcedit, & cauſa motus fuit inuincibiliter putata iuſta, quam ignorantiam non tenebatur deponere, cũ probabili opinioni ſimpliciter poſſit acquieſcere.

Regnum autẽ, quod poſſeſſore caret, poſſe à quolibet opinionem probabilem habente armis occupari, vt certum docet Suar. *loco citato*.

Hinc probabiliter etiam dici poteſt, eum, qui Ius probabile habet ad aliquã rem, quę ab alio detinetur, quod ius in iudicium deferre non poteſt, poſſe licitè occultè compenſationem facere; quia ſuo iuri adeo bene fundato, quomodo poteſt alia via ſatisfacere? debet ne ergo illud ius haberi pro nullo? in dubio quidem non poſſet, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, ſed in caſu opinionis probabilis nonne debet quid plus poſſe facere?

facere? certè videtur idem posse facere ac Rex, & eo quidem magis; quod ex hac occulta compensatione, non possunt sequi ea damna, quæ ex bello oriuntur, vt sunt desolationes Vrbium, excidia Prouinciarum, & clades hominum. Semper tamen intelligo, supposito, quod ex opinione probabili facti, nempe, quod res sit sua, possit habere opinionem probabilem, quod sibi illa sit adiudicanda, adeo vt verè sibi deberi, probabiliter opinetur; & licet communis sententia DD. videatur esse in contrarium, tamen Cardinalis de Lugo multum propendet in hanc sententiam, *de Iustitia, & Iure d. 16. sect. 2.* vbi etiam notat DD. contrarium asserentes inconsequentiæ, quia id negant in vniuersali, & in genere: concedunt autem compensationem occultã cũ opinione probabili in particularibus materijs. Videatur dictus Cardinalis *loc. cit.* vbi soluit omnia argumenta in contrarium.

Vrgeo. Si probabilius est rem esse illius, qui non possidet, re delata ad Iudicem poterit Iudex, quin debebit à possessore ereptam illi adiudicare; dictum est enim *d. præced. sect. 6. concl. 2.* teneri Iudicem sententiare pro parte probabiliori; Ergo si non possit lis ad Iudicem deduci, ne, qui non possidet, priuetur suo iure, poterit occultè compensationem facere. Insto; Potest Iudex, vel debet pro illo sententiare. Quare? quia illi debetur res ab alio possessa; alias si non deberetur, non posset Iudex rem illi adiudicare. Neque verò solum debetur post sententiam; sententia enim non facit, quod res alteri debeatur, sed rem adiudicat alteri. Supponit rem deberi, & ex hoc supposito, tamquam ex motiuo iustificante rem adiudicat. Si ergo res mihi debetur, iam habeo opinionem iuris pro me; ergo potero hac opinione Iuris vti, & occultam facere compensationem.

Claudo;

Claudo; res mihi debetur, & quare non potero; ea via, quę sola superest, citra scandalum iuri meo satisfacere?

Hic autem obiter addo, hinc patere, quam verum sit, quod toties innui, nempe ex opinione facti, vt plurimum consurgere opinionem iuris; ex eo scilicet, quod sit opinio, quod res mea sit, sequi rem mihi deberi. Et sane ideo litiganti cum probabiliori opinione, quod res sit sua, debet à Iudice adiudicari res ab alio possessa, quia ex eo, quod probabilius sit sua, sequitur eam sibi deberi; Inquiro enim, ex quo alio capite sequitur eam illi deberi? non nisi quia melius probat rem esse suam.

Item, Iudicem, quãdo partiũ iura sunt æqualia, posse pro libito, cui voluerit, rem adiudicare, quin immo etiã ferre sententiam pro eo, cui minus probabilis opinio fauet, docent grauissimi DD. omnes scilicet illi, qui volunt posse Iudicem ferre sententiam pro parte minus probabili: quæ sententia saltem ab extrinseco admodũ probabilis est; ergo in hac sententia, qui super aliqua re ab alio possessa habet ius, vel æquè, vel minus probabile, dummodo probabile simpliciter illud sit, si rem in iudicium deferat, poterit licitè sententiam accipere fauorabilem. Inquiro: quare iusta erit hęc sententia? certè, non nisi quia cum ille ius ad rem simpliciter sufficiẽs habeat, res ipsi debetur saltem probabiliter, alias si neque probabiliter deberetur, nullo modo pro illo posset iusta ferri sententia. Ergo ex hoc, quod quis simpliciter ius probabile ad rem habeat, statim habet probabilem opinionem, quod sibi debeatur; ergo ex opinione facti, etiam minus probabili, sequitur opinio iuris. Modo sic; si ergo cum opinione etiam minus probabili, quod res sit sua, sequitur, quod licet

ab

ab alio possessa sibi probabiliter debeatur, quidni poterit quis occultam compensationem facere? quando præsertim iuri suo non potest alia via satisfacere?

Dices. Est veluti axioma in materia iustitiæ, quod à non liquido ad liquidum non datur compensatio; sed ius probabile ad rem non est ius liquidum; ergo non potest fieri compensatio accipiendo rem liquidam.

Resp. Illud axioma absolutè prolatum, si comprehendat etiam iura probabilia, nec in sententia aduersariorum esse verum; nam concedunt aduersarij, quod si alicui legatum relinquatur in testamento non solemni, licet non possit in foro fori legatum repetere, posse tamen occultam facere compensationem; quia probabile est, quod tale legatum de iure naturæ sit validum, ac proinde probabile est, quod sibi debeatur. Neque enim certum est tale legatum sibi deberi, quia probabilis est aliorum sententia negantium in hoc casu vllam obligationem oriri ex iure naturæ, ac proinde asserentium non deberi. Igitur ius ad hoc legatum est tantum probabile, ac proinde non liquidum; & tamen potest occulta fieri compensatio; ergo &c. Dicendum igitur est illud axioma valere in dubijs propriè dictis: sicut in ijsdem tantum valet, quod melior sit conditio possidentis, est enim moraliter sufficienter liquidum ius, quod probabile est.

Si quis autem sciat se debere alicui, & dubitet, an restitutionem fecerit; si non potest ad minus probabiliter certiorari, tenetur restituere; quia in hoc dubio possessio est pro obligatione restituendi, quæ non nisi temerè per illas rationes dubitandi potest dici ablata. Ideo illarum rationum nulla ratio habenda est,

&

&agendum, ac si tale dubium non esset, ac proinde restituendum.


Et hæc, quæ S. R. E. Censuræ humillimè subijcio, pro præsenti Opusculo dicta sufficiant. Faxit Deus, vt in ipsius gloriam, & salutem animarum cedant.

FINIS.





INDEX



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Opusculo continentur.



Neque

E

illi

Stan-

P

Volun-

F I N I S.

G E N V AE,

Apud Petrum Ioannem Calenzanum.

M D C X X X X V I I I.

Superiorum Permissu.

6-4

